

De scabie et acaro humano : dissertatio inauguralis ... / auctor Jul. Alex. Ferdinandus Rohde.

Contributors

Rohde, Julius Alexander Ferdinand.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Friedlaenderianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mrjc9cqp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





5
DE
**SCABIE ET ACARO
HUMANO.**

— o o o —
DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. MENS. JULII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

JUL. ALEX. FERDINANDUS ROHDE

PARTHENOPOLITANUS.


OPPONENTIBUS:

SCHIESS, MED. ET CHIRURG. DR. MED. PRACT.

BUETTNER, MED. ET CHIRURG. DR. MED. PRACT.

POUCH, MED. ET CHIRURG. DR.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.



P A T R I

OPTIMO DILECTISSIMO

JOA. GODOF. ROHDE

**PROFESSORI REGIO, PRAECEPTORI
EMERITO IN GYMNASIO ECCLESIAE
CATHEDRALIS PARTHENOPOLITANO**

H A S C E

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

FILIUS.

Cap. I.

Κνησμος, ψωρα, Pruritus (Auctt. var.), Psora (Linn. Cullen, Parr.), Ecpyesis scabies (Good), Phlysis scabies (Young), la Gale, the Itch, Prurigo scabida et Scabies vesicularis s. lymphatica s. aquosa (Schönlein), Scabies, świerzba, Krätze.

Cap. II.

Scabies morbus est cutis chronicus et contagiosus qui vel papulas vel pustulas, plerumque autem vesiculas format exiguas, fere solitarias et sparsas, quae manum potissimum infestant, majori minori pruritu conjunctae sunt et fricando scalpendoque rumpuntur. Ruptae desquamantur aut primo humores aqueos, dein pus effundunt et in crustas abeunt.

Cap. III.

Natura est hujus morbi sollicite et accurate pensitatis symptomatibus omnibus, quibus et incipit et quibuscum nova quaeque ejus eruptio conjuncta est, in organi cutanei inflammatione posita, quae aut in serosam exsudationem aut lymphaticam, aut in suppurationem sub epidermide exit. Nam signa illa, quae in-

inflammationes topicas declarant omnes, uti calor, rubor et tumor, exitusque earum in exsudationes et suppurationes, nec non febricitationes quandoque comitantes etiam in scabie inveniuntur, sat ergo inflammatoriam morbi naturam probant. Haec vero ipsa inflammatio maximam partem in systemate vasorum capillarum, sub epidermide positorum, sedem obtinere nec, siquidem vera adest scabies, subjacentem cutem in eundem morbum injungere videtur, id quod eo apparet, quod character inflammationis scabiosae erysipelatosus est et scabies simplex nullas prorsus epidermidis destructiones vel cicatriculas relinquit.

Cap. IV.

Jam vero loca, quibus scabies insidet corporis, maxime variant, ubique enim et in omnibus fere partibus apparet praecipue iis, quae tenui et molli obiectae sunt epidermide et in quibus plura solito vasa lymphatica accumulata sunt. Saepissime ergo scabiem in lateribus artuum flexurarum et in superficiebus internis extremitatum superiorum et inferiorum invenies. Quaevis praeterea pars, quam contagium immediate petiit, scabie inficitur, et quum manus maxime sint contactui obnoxiae, in his potissimum, locis scabiei quodammodo classicis, primum inspicitur et digitorum interstitiis. Hoc quidem in variis vitae generibus valde variat. In fabris enim ferrariis, claustrariis et infectoribus ob callositatem et scabritiem epidermidis primo haud in digitis et carpis inspicitur, in sartoribus autem gauzapes confercientibus feminisque iis, quae acu opus faciunt, maxime in manibus observatur¹⁾. Nihilomi-

1) cfr. Bielt aut Cazenave et Schedels praktische Darstellung der Hautkrankheiten etc. pag. 112.

nus etiam in fabris ferrariis utraque manus scabiosa notata est. Inde a manibus sensim sensimque, modo tardius modo citius, prout cutis indoles discrepat, non solum ad artus digitorum, plicam cubiti et axillam vagatur, sed ad poplitem etiam, regionem inguinalem et lumbalem, crenam natium, ventrem, rarius ad thoracem, humerum, superficiem extremitatum dorsalem, dorsum, dein per totum corpus, sola facie excepta, dispergitur. Cui semper fere cum parcat ¹⁾, nisi cum alio exanthemate complicata est ²⁾, signum hoc pathognomonicum scabiei visum est Lieutaudo ³⁾. Attamen sunt, qui se scabiem in facie et auribus, immo in parte capitis capillata ⁴⁾ contagio translata observasse contendunt; Thomson ⁵⁾ etiam pustulosam scabiem in latere faciei prope aures in libero se vidisse dicit, nec non ego ipse vesiculas scabiosas in maxilla inferiore vetulae inter aurem et os observavi. Saepissime tamen scabies solos artus externos, digitorum imprimis interstitia occupat ⁶⁾. — Pruritus qui scabie, maxime vesiculis pellucidis ⁷⁾ excitatur, initio jucundus esse dicitur, ita ut aegroti partes libenter fricent et scalpant; postea vero, quum agitationibus corporis nimis, cibis acerbis et potionibus spirituosissimis augetur et ad frictionem atque scalpendi necessitatem aegrotum semper incitat, molestus fit et dolorificus, quare Plato hunc morbum apte „πρασος γλυκυπικρον“ nominavit. Maxime autem sub vesperam noctuque exacerbatur pruritus et cum molestissimis cruciatibus conjungitur. Uti enim alii morbi occidente sole praecipue increscunt, ubi vita

-
- 1) cfr. Wichmann Aetiologie der Krätze etc. pag. 36.
 Schönleins Pathologie und Therapie Tom III. pag.
 Plenck, Haase, Willan, Bielt, Batemann l. c.
- 2) Guldener von Lobes l. c. p. 45.
- 3) Synops. prax. med. p. I. pag. 424.
- 4) Bielt l. c. pag. 113.
- 5) Batemann l. c. pag. 235.
- 6) Callisen system. chirurg. hodie. I. §. 824.
- 7) Guldener von Lobes l. c. pag. 46. Wichmann
 Aetiologie der Krätze pag. 51.

sensibilis vegetativae recessit, aegroti in lecto incalescunt et fermentatio major excitatur, sic pruritus etiam in scabie calore stragulorum et luce deficiente augeatur. Frigore autem et quovis spasmo cutis imminuitur et fere evanescit pruritus; interdum etiam loca mutat, quamquam vesiculae neque minuuntur numero neque augentur. Atqui pruritus causa efficiens acari scabiei et irritatio cutis papulis vesiculis et pustulis simul effecta certe sunt, item ipsi enim calore omni et fervore alacres et vigentes, frigore autem immobiliores et tardi fiunt aut omnino obtorpescunt; porro pruritus locum mutasse eo explicatur, quod variae corporis partes magis minusve fervent, aut magis minus obiectae modo etiam calidiores modo frigidiores sunt.

Cap. V.

De symptomatibus hujus morbi initio et in decursu praevalentibus medicorum sententiae valde differunt. Modo enim de cutis papulis ¹⁾ modo de pustulis ²⁾ nulla mentio fit, potius morbum initio statim pustulas vel vesiculas praebere contenditur. Varia illa signa quae in decursu scabiei animadvertuntur, aut una et simul aut singula tantum adesse possunt, quaedam citius quaedam tardius finiuntur et, causis sublatis, aut sponte evanescunt aut porro insistent.

Licet etiam in scabie tria decursus stadia, primum evolutionis, alterum akmes, tertium revolutionis agnoscere, quae certis quidem non terminantur epochis, valde autem inter se discrepant.

1) Richter, Gottl. Aug. Specielle Therapie Tom. VI. pag. 130.

2) Green practisch. Compend. der Hautkrankheiten. A. d. Englischen. Weimar 1836 pag. 74.

Stadium evolutionis comprehenditur contagione et incubatione sive toto illo tempore, quod antecedit eruptionem. Interdum tamen incertum hoc stadium est, quod sine ullo notabili incommodo contagii tempus transigitur et morbus mox ab ipsa scabiei eruptione exorditur. At vero tempus intermedium inter contagionem et invasionem, sive incubationis, notatu dignis excellit discriminibus, quae in aetate infectorum et in anni tempore posita sunt. In pueris enim scabies quarto aut quinto post infectionem die apparere solet, plus temporis autem incubatio in debilibus et phlegmaticis pueris quam in validioribus et sanguinicis absumit. In adultis verno et aestivo tempore ad octavum et duodecimum, hieme vero ad decimum quintum et vicesimum usque diem, longius in senibus protrahitur, quorum in aridiorem et duriolem cutem contagium scabiosum difficiliter transfertur et diffunditur. Multo magis autem in iis impedita est incubatio, qui inflammatione organorum interiorum laborant ¹⁾. —

Scabies semper iis inchoat symptomatibus, ex quibus naturalis ejus character inflammatorius facile perspiciuntur. Homo enim scabie infectus aut illico aut diebus paucis post, primum pruritus dein parvas maculas, rubras et irregulares inter digitos dispersas majore minore numero sentit. Hic, ubi pruritus percipitur, accuratior observatione adhibita parvae et albae papulae valde dispersae et solitariae perspiciuntur, quae saepius nullum omnino humorem continent, facile tactu nodulorum parvorum instar sentiuntur, et quarum tegumenta aut eundem cutis colorem aut rubriorem habent. Hae aut manent aut sensim sensimque crescunt et brevi in pustulas aut vesiculas mutantur, quae sponte aperiuntur aut frictione conteruntur. Atqui papulae potissimum in antibrachiis et brachiis, in dorso, in superficiebus femorum internis et regionibus lumbalibus sedem obtinent, a manibus saepius omnino abhorrent ²⁾

1) Biett l. c. pag. 113.

2) Schönlein l. c. pag. 58.

et pressae aut albidam stearinosam materiem, quae parvo filiformi appendice, crinonibus consimili, finitur ¹⁾, aut pellucidum humorem dimittunt, qui ad crustas subvirides condensatur ²⁾.

Pustulae interdum initio morbi jam prodeunt et maxime in manibus pedibusque, rarius in antibrachiis et femoribus cernuntur. Vesiculae paullisper acuminatae in apice et pellucidae, in basi latiores et rubro halone cinctae, magis minusve amplae sunt in manibus et tarsis, in ceteris autem corporis partibus rariores et minores sunt, per breve tempus durant et cito opacae fiunt. Basin saepe etiam duram habent vesiculae extremitatibus superioribus insidentes, quae ita atonicae sunt, ut vix exiguam seri quantitatem, premendo tantum conspicuam, contineant ³⁾. Vesiculae raro ad stadium revolutionis perveniunt, nam simulac apparuere, aut sponte rumpunt aut, quod plerumque fit, ab aegroto, nimio pruritu vexato, frictione conferuntur. Quod ubi factum est, humor pellucidus dilutus, serosus sed acris effunditur, qui vicinas partes irritat, corrodit et inflammat, factaque pressione uberius, quam ex magnitudine elevationis divinaveris, demittitur. Ita fit, ut scabies partim aegroti studio, ne tantopere vexetur, partim semet ipsa latius in corpus extendatur et disseminetur, ejusque integras adhuc partes occupet. Postea vero, ubi humor colorem mutavit, opacus factus est spissus et flavus, ubi vel sero lactis vel lymphae similis vel puriformis evadit, mitior redditus est, nec amplius ita vehementer corrodit et inflammat. Tubercula etiam sive terminatae cutis telaeque cellulosaesubjacentis indurationes, in axilla et natibus insidentes, quandoque occurrunt, quae uni acarorum scabiei cuniculo aut pluribus fundamento sunt et nonnunquam, praecipue chronica scabie, inflammantur et parvos su-

1) Albin Gras. Recherches sur l'Acarus etc.

2) Schönlein. l. c.

3) Albin Gras. l. c.

blimes abscessus efficiunt ¹⁾. Qui utrum iidem sint, quos Frowein ²⁾ jam commemoravit, nec ne, dubium.

Nova atqui quaevis morbi eruptio cum iisdem signis pathognomonicis, quae principio aderant, scilicet cum rubore, aucta partium cutis singularum irritabilitate, aucto pruritu et ardore, nonnunquam etiam cum febribus comitantibus conjuncta est. Pustulae, quae etiam in hac provenerunt, rumpunt humoremque dimitunt, saepius vero prioribus majores sunt et formam interdum vel parvorum furunculorum imitantur.

Restat, ut odoris specifici cum scabie conjuncti mentionem faciam signi pathognomonici, nam semper adest et aut mucidus ³⁾ esse dicitur aut cum eo linteorum corpore cubante corruptorum comparatur.

Jam quum in efflorescentia scabiem observavimus, de classe etiam, cui pristinis temporibus, cui hodiernis morborum cutaneorum medici adnumerarunt, verba faciam. Pustularum classi scabiem Plenkius ⁴⁾, W. Batemann ⁵⁾, Willan ⁶⁾, vesicularum autem Weber ⁷⁾, Schönlein ⁸⁾, Biett ⁹⁾, Green ¹⁰⁾, alii praeterea ambigue vel pustulis vel vesiculis ¹¹⁾, alii papulis vel pustulis ¹²⁾, denique P. Frank ordini impetiginum depascentium ¹³⁾ adnumerarunt. Ex his maxime disceptatum esse inter scriptores nemo non vi-

1) Albin Gras. l. c.

2) De scabie post nuperrimum bellum epidemica, 1764.

3) Richter. l. c. 131. Haase. Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. Wien 1832. Band 3. §. 604.

4) Plenck. Doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776.

5) Batemann. l. c. pag. 234.

6) Rob. Willan. Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, systematisch beschrieben. Aus dem Eaglischen von Friese. Breslau. 1799 — 1816

7) Weber, de causis et signis morborum. pag. 259.

8) Schönlein. l. c. pag. 60.

9) Biett. l. c. pag. 112.

10) Green. l. c. pag. 74.

11) Guldener von Lobes. l. c.

12) Callisen. Systema chir. hod. I. §. 824.

13) Grundsätze über die Behandlung der Krankheiten des Menschen; übersetzt; Mannheim 1797.

det, nam plures dissentiunt et justae cuidam et aptae classi non subjecerunt. Causae, unde hoc factum sit, his potissimum rebus fortasse tribuendae sunt, scilicet notio de vesicula et pustula vaga erat et late patebat, alteri altero saepius pustulae vel vesiculae occurrere, demum alter in altero climate scabiem et in altera corporis constitutione observavit. Atqui papulae pustulae et vesiculae quum, varias inter se formas praebentes, in eodem aegroto fere semper inveniantur, et pustulae, quae rarissime tantum adsunt ¹⁾ fortuitae tantum nec necessariae sint: recte ad classem vesicularum scabiem retulerunt Weber, Schönlein, Biett, Green, quamquam novam omnino classem morborum cutaneorum, scilicet „compositorum“ rectius posuissent, cui scabiem adnumerarent. —

In stadio revolutionis papulae desquamantur et humores, quos continuere, arescunt; pustulae evacuationis contentis obdurescunt in crustulas flavofuscas duriusculas, et scabendo secedunt. Vesicularum singularum finis non satis innotuit, nam sibi ipsis commissae nec ulla re turbatae utrum exsiccentur, nec ne, dubium est, immo nescimus ²⁾. Eae tamen vesiculae, quae non bene evolvuntur, arescere et desquamari, eae, quae humore lymphatico impletae sunt, in parvas crustas deciduas desinere solent. Verum vesiculae saepissime frictione corrumpuntur, quod jam ante diximus, quo facto contentum cum sanguine immiscetur et crassae rubicundae crustae formantur, ita ut aegrotum si perspiceres, flagellatum eum esse crederes ³⁾. Saepius etiam in vesiculis diruptis parvae tenues et flavae squamae insidere dicunt. Sanescente morbo vesiculae primae, tunc pustulae deficiunt, pruritus autem et papulae lentissime tantum ad finem proveniunt ⁴⁾. — Frictione partim continua, partim humore

1) Biett. l. c. pag. 112.

2) Schönlein. l. c. pag. 60.

3) Schönlein. l. c. pag. 60.

4) Albin Gras. l. c.

acri semperque profluente cutis rubescit, corroditur et inflammatur, ulceraque scabiosa oriuntur, quae perquam crassis crustuosisque marginibus nec non vesiculis valde prurientibus, in ambitu erumpentibus et alte insidentibus prae ceteris excellunt ulceribus. Initium eorum vesiculae nonnullae fuscae, valde prurientes et mox refricatae, quae flavofuscum et subacide olentem humorem dimittunt, saepius facere solent¹⁾. Primo lymphaticum ulcera et purulentum humorem, deinde dilutam, dissolutam, sanguinolentam et foetidam saniem secernunt, praecipue in natibus et extremitatibus inferioribus exordiuntur, in senibus ad malleolos praesertim²⁾, et magis in foeminis quam viris³⁾ inveniuntur. Sanatis ulceribus fuscorubrae remanent cicatrices superficiales.

Demum in abscessus etiam scabies, naturae commissa, abire dicitur, qui per varium temporis spatium, tres annos non superans, in cute variis temporibus oriantur et materiam scabiosam collectam una cum pure effundant⁴⁾.

Cap. VI.

Posteaquam momenta illa omnia, quae in scabie tantum regulari vigent, in medium protuli, ego nimius esse mihi haud videor, si illa etiam signa et semina, quae scabiem irregularem reddunt, explicare conar. Recens et contagione orta scabies topicus quidem morbus cutaneus est, quousque vero talis permaneat, quoque tempore in luem, ut ita dicam, scabiosam, sive in

1) Guldener von Lobes l. c. pag. 70.

2) Schönlein l. c. pag. 62.

3) Guldener von Lobes l. c. pag. 69.

4) Trowein l. c.

universam corporis affectionem transeat, difficile constitui potest. Experientia teste affectio quaevis partis cuiusdam diutius persistens vel saepius rediens, tandem mutationes organi aegrotantis profert, ita ut postremo illa affectio familiaris organismo evadat, reliquae omnes partes sensim affectioni obsequantur et mutantur, ejusque existentiam, ut salvae esse possint, requirant. Quod etiam scabies inveterare, habitualis et corpori, ut valeat, necessaria fieri potest, sponte autem regressa aut imprudenter reperiens irregularem scabiem sive metastases, quas dicimus scabiosas, efficere valet. Irregularis scabies vero nominatur ea, quae alia corporis organa pro iis ac ex natura debet, affecit. Jamjam qua ratione hae metastases exoriantur et quid eas efficiat, quaeritur. In memoriam tantum Wichmanni¹⁾ de hac re mentem admirabilem revocamus, ipsos scabiei acaros vel, quum vasorum resorbentium lumine majores videantur, eorum ova parta, lumini aptiora certe, resorberi et sanguini immixta metastases scabiosas conficere. Hoc certis quidem argumentis non probavit, quia animalcula ab naturali matrice segregata et alienae imposita vivere posse, non confirmavit et vix confirmare potuerit. Verum nemo nescit, arcanam pectoris intestinorumque cum cute consensionem existere et multos morbos cutaneos maxime propensos esse, ad organa interna migrandi. Idem in scabie, quae miracum tunicis serosis et fibrosis consensione quum conjuncta sit, varias etiam earum affectiones, ipsius non nisi symptomata, procreat. Metastases vero etiam materiali puris aut lymphae aut seri scabiosi migratione, dico resorptione vasorum lymphaticorum perfecta, dilucidare poteris ita quidem, ut materia scabiosa exempli gratia in pulmones delata certum eorum morbum efficiat. Quae metastases ut resorptione perficiantur, inveterata scabie vel valde diffusa, aut magna puris vel seri vel lymphae scabiosae copia non opus est, recens enim et parum in corpus disseminata non minus sca-

1) Aetiologie der Krätze pag. 92.

biem irregularem conformare valet. Adesse tales metastases, experientia docet, et causae, quibus efficiuntur, medicamenta externa vel interna incaute et imprudenter usurpata, refrigerationes subitariae, animi perturbationes nec non febres accedentes sunt. Subito etiam quum scabies evanisset, pustulae et vesiculae cito collabuntur, cutis exarescit, pruritus autem et papulae saepius permanent. Morbi, qui scabie subito suppressa observati sunt, tunicas imprimis serosas et fibrosas destruere videntur et ab aliis morbis vel ex anamnesi vel ex signis externis vel ex medela anti-scabiosa, haud quidem indicata at prospero successu instituta, porro ea re, quod vespertino tempore symptomata exacerbantur, matutino autem remittunt, dignoscuntur. Praeterea graves morbi atque refractarii sunt et clam vitae insidias struunt, lente enim et occulte ingravescent, sero tantum et pluribus mensibus elapsis sese offerunt, et segnem atque pertinacem decursum habent.

Phthisis scabiosa materies ad interna organa metastasin optime firmat, quum multa tubercula in pulmonibus observentur, quae, ubi proxime ad peripheriam sita sunt, formam pustularum sat claram habent et verae pustulae scabiosae sunt, inter quas substantiam pulmonum plane normalem inspicies. Saepissime apud juvenes vicesimum inter et tricesimum annum degentes, maxime apud milites vel validissimos et robustissimos oritur, qui ut habitu phthisico instructi sint, non necesse est. Aegroti morbo incipiente sensum gravantem in regione epigastrica et aepsiam, postea oppressionis sensum medio in sterno, nunquam remittentem, dispnoeam, tussim brevem et siccam accusant. Sputa aquosa, nonnunquam spumida sunt, in quibus glomeruli puris crassi et subflavi nant, quod ad reliquum humorem commixtum tantum, non solum est.

Ophthalmia psorica genuina scabies palpebrarum est, quarum in superficie externa locum habet et vesiculas et pustulas et ulcera psorica profert. Palpebrarum progrediente morbo etiam margines tarsales ulcera

infestant et corrodunt, ciliae morbo implicatae et trichiasi laborantes introrsum verguntur aut decidunt. Demum pustulae scabiosae et ulcera vel in conjunctiva palpebrarum inveniuntur, quae ita dilaniata fero recens divisae consimilis fit. In Polonia et Lithavia ophthalmia scabiosa praesertim observatur ¹⁾. Atqui genuinam scabiem diximus psorophthalmiam, quamquam a variis scriptoribus pro metastasi scabiei retropulsae habetur. Ophthalmia scabiosa certe transportatione materiae scabiosae immediata et fricando palpebras digitis saepissime gignitur, qui pustulis et vesiculis psoricis distincti sunt. Accedit, quod cutis tantum palpebrarum scabie afflicta est, peculiaris hujus morbi sedes. Verum illam rectius metastaticam nominabimus psorophthalmiam, quae, scabie ab aliis partibus repercussa, hic sedem fixit. —

Statum chloroticum videlicet nonnunquam scabies suppressa in puellis, maturitati appropinquantibus, profert, qui menstruis dolorificis, excedentibus, parcis, retardatis, et anxietatibus in praecordiis, ceterisque hystericis affectionibus cognoscitur. Huic medicamentis nonnisi antiscabiosis specificis et morbo cutaneo artificiali medebere ²⁾.

Cor etiam suppressa scabie affici dicitur, unde pericarditis chronica et degeneraciones cordis oriuntur. Neuroses variae praeterea observatae, uti epilepsiae, praesertim in adultis viris et aura a praecordiis incipiente epileptica insignes, vertigo, amauroses, paralyses, neuralgiae in extremitatibus et nervis abdominalibus, porro mania, asthma, apoplexiae nervosae.

Quin etiam rheumatismi et aliae artuum inflammationes, coxae imprimis et genu, nempe hydrarthrus, tumor albus, arthrocaecae, quid quod ascites et hydrocephalus chronicus, rarius anasarca scabiem subito suppressam persequuntur.

1) J. C. Jüngken, die Lehre von den Augenkrankheiten. Berlin 1832. pag. 299.

2) G. A. Richter l. c. pag. 196.

Cap. VII.

Sat discriminis in scabie, quod morbus contagiosus est. Hanc ob rem ut recte cognoscatur et inter alios morbos cutaneos similes ne permisceatur, necesse est. Quum vero scabies compositus sit morbus cutaneus, qui tria illa symptomata: papulas, pustulas, vesiculas offert, cum variis morbis cutaneis magis minusve similitudinis habere debet. Quibuscum ex his scabies maxime confundatur, quibus criteriis ab aliis differat, jam commemorabo.

Prurigo: huic papulae solae propriae sunt, quarum tegmen eundem cutis colorem habet, quae vero aliis locis quam scabies insident, scilicet dorsum, humerum, et superficiem extremitatum dorsalem potissimum occupant. Hae papulae quum fere semper fricentur, in apice parvum coagulum exsiccatum, sanguineum et nigrum habent; non fricatae in crustas deciduas abeunt. Pruritus praeterea in prurigine mordacius aegrotum infestat magisque ardet, demum prurigo morbus contagiosus non est.

Lichen simplex, hic quoque contagiosus non est morbus cutaneus, nec ita dolorifice quam scabies prurit, immo papulas offert, quarum tegmentum a calore cutis nihil differt. Papulae catervatae esse solent, quod nunquam in scabie invenies, et si manus obsident, superficiem dorsalem, non digitorum interstitia ut scabies occupant. Lichen simplex in superficiebus artuum maxime externis, cum morbis abdominalibus conjunctus et plerumque vernis atque aestivis temporibus observatur.

Lichen urticatus multo magis a scabie differt, non enim contagiosus et cum pruritu mitiore conjunctus est, per intervalla prorumpit, ejusque papulae, quum magis inflammatae et ampliores sint, magis etiam prominent et facilius inspiciuntur.

Cum **Eczemate** scabiem facile confundere posses quidem et maxime cum simplice, at illius vesiculae planiores et majore copia aggregatae sunt, scabiei autem vesicu-

lae magis acuminatae, solitariae et sparsae esse solent. Pruritus cum eczemate conjunctus sensum urentem universum imitatur, qui ab exacerbationibus scabiei perquam abhorret. Accedit, quod eczema ex irritationibus cutis, exempli gratia ex solis radiis originem ducit, et nunquam contagio disseminatur.

Herpes, hoc morborum cutaneorum genus vesiculis dignoscitur, quae basin inflammatae habent, semperque gregatim erumpunt. Basis plures superficies habet, plane circumscriptas, quarum singulae majore minore interstitio, cutem integram concludente, separatae sunt.

Ecthyma: criterium ecthymatis sunt pustulae lentis magnitudinem saepius superantes, rotundae et solitariae, quae basin inflammatae habent. Earum evolutiones doloribus vehementibus haud raro stipatae sunt. Exit morbus in crassas crustas deciduas; quandoque cicatriculae, saepius autem maculae rubro-fuscae plus minusve temporis permanentes insequuntur. Interdum pustulae in ulcerationes, basi solito magis inflammatae nitentes, plus minus profundas exeunt imprimis eae, quae extremitates inferiores occupant. Ulcera livida et ischorosa dolent, nec non habitu haudquaquam vigente gaudent.

Impetigo contagione, ut scabies, non propagatur, ejus etiam pustulae majores sunt et brevi, ut assolet, ruptae copiosum humorem puriformem effundunt, qui exarescit et crustas plus minus crassas, subflavas, fere pellucidas et valde fragiles conformat. Crustis sponte delapsis aut consilio remotis superficies inflammatae deteguntur, quae hic et illic excoriationses superficiales et pustulas perperam dispersas ostendunt, quibus humores seroso-puriformes emanant.

Cap. VIII.

Medici priorum seculorum quum veram notitiam scabiei naturae non habuissent et plures similes mor-

bos cutaneos scabiei varietates et species peculiare*s* judicassent, variis illis speciebus propria nomina imposuerunt. Verum inde medelae morbi haud multum rediit, quum quaecunq*ue* earum specierum adsit, in curando morbo nil obstat, sed cuique eadem ratione medeamur. Plenkius ¹⁾ scabiem ratione indolis in putridam, topicam, veneream, verminosam, retrogressam divisit. Scabies putrida febres putridas sequitur et cum vesiculis crystallinis, quae in ulcera transeunt incipit, circa vespertas febricula observantur et ingentes capitibus dolores; scabies topica erumpit in manu vel alia tantum parte; scabies venerea in fronte papulas duras cum maculis venereis format et mercurialibus curatur. Scabiem verminosam recte eam, in qua vermiculi seu acari inveniuntur, nominat; de scabie demum retrograda jam ante, ubi de metastasibus scabiei sermo erat, egimus. Alii medici epidemicam scabiem statuerunt, alii improbaverunt. Jamjam Galenus ²⁾ scabiem epidemicam, quae famem insecuta est, describit. Sed quum complura ulcera in cute scatere observarentur, quorum non erat omnium una species, scabiem adfuisse vix credendum. Illa etiam scabies epidemica, quam Hoffmann ³⁾ anno 1716 Halis et Islebiae grassatam observavit, atque ista, quam Linke ⁴⁾ descripsit, scabies fuisse non videntur. Idem de scabie epidemica a Rammazzini ⁵⁾ recensita, quae illi a Galeno descriptae similis est, judicandum. Atqui recte jam Guldener de Lobes ⁶⁾ et Hildebrand ⁷⁾ hasce epidemias cognoverunt. Nam quidquid hucusque scabies epidemica nominatum sit, aut morbos fuisse, qui scabiem jam praesentem maligniorem reddere et latius in corpus disse-

1) Plenki's Doctrina de morb. cutan. pag. 40.

2) lib. de bonitate vitiiisque succorum, cap. I.

3) Opera omnia. T. III. pag. 441.

4) Therapia scab. epidem. per diuresim. Act. nov. N. C. T. VI. Append. pag. 257.

5) Opera omnia pag. 176.

6) Beobachtungen über die Krätze etc. pag. 141.

7) Bemerkungen über den Krätzeausschlag etc. pag. 9.

minare poterant, aut nil nisi scabiei similes morbos fuisse contendunt. His iudiciis vitiiati humores acaros augere et victus corruptus nec non morbi epidemici, quo facilius materia scabiösa recipiatur, vim habere debent. Richter ¹⁾ et Biett ²⁾, quibus assentio, scabiem epidemicam adesse negant.

De scabie endemica, utrum appareat nec ne, eadem est dissensio. Verum enim verum multi morbi cutanei scabiei maxime similes, ut endemici appareant, fieri potest, minime autem quis morbum illum cutaneum, qui Tartaros ad Rutheniam venientes corripit et plures enecat, pro scabie habebit. Neque illam quis scabiem, quae in insula St. Domingo observatur, quae homines in alias regiones proficiscentes sine ullo alio remedio relinquit et medicaminibus antiscorbuticis depellitur, veram esse censebit. Attamen Guldener de Lobes ³⁾, Richter ⁴⁾, Haase ⁵⁾ scabiei endemicae favent. Ab variis enim conditionibus, humiditate, aëre pestilenti, omni immunditie, victu acri atque corrupto, contagium ut facilius concipiatur, pendere dicunt, et sententiam suam ea re firmant, quod homines humiliores, opifices, militum copiae nec non ii, qui in carceribus, nosocomiis, orphanotrophiis coarctantur, maxime scabie conflictuntur. Hanc ego scabiem endemicam esse eandem atque Plenckii acquisitam intelligo. Biett ⁶⁾ scabiem epidemicam apparere refutat.

Statuendum rectius, scabiem tantum sporadicam hominibus supervenire. Nonnulli medici ⁷⁾ scabiem criticam probant et plures morbos tum acutos tum praecipuis chronicos non ante minui et solvi posse credunt, quam totum corpus vesiculae et pustulae sca-

-
- 1) l. c. pag. 139.
 - 2) l. c. pag. 112.
 - 3) l. c. pag. 131.
 - 4) l. c. cap. 139.
 - 5) l. c. §. 607.
 - 6) l. c. pag. 112.
 - 7) Olenä l. c. pag. 39.

biosae obtexissent. Hanc sententiam exemplum probans van Swieten ¹⁾ et Muzell ²⁾ narrant de melancholia scabie sanata. Etiam Weber ³⁾ et Haase ⁴⁾ criticam scabiem in scorbuto, febribus acutis et intermittentibus, in statu scrophuloso et haemorrhoidali notari testantur, et Plenkius ⁵⁾ scabiem catamenialem huc pertinere censet, quae omni mense loco catameniorum erumpit. Istam vero de melancholia rem Wichmann ⁶⁾ bene dilucidavit. Muzellii enim melancholicum sutorem scabie sanatum huc non pertinere dicit, quum scabies contagio orta, tantummodo irritamenti cutanei instar, sinapismi, fonticuli etc. vices exhibuerit. Huic menti ego etiam faveo, ita ut ubicunque morbus scabie superveniente curatus sit, haec contagio forte insita nonnisi irritationi cutis inservierit. Etenim qua quantum effici possit, experti sumus experientia quotidiana, nimio irritamento cutaneo opportunas mutationes et saluberrimos exitus morbo provenire. Etiam Guldener de Lobes ⁷⁾, Hildebrand ⁸⁾ et Biett ⁹⁾ scabiem criticam nunquam apparere consentiunt, et qui morbi cutanei critici, velut scabies descripti, ab aliis scriptoribus proferantur, contagio non ortos esse et quantum maxime a vera scabie discrepare contendunt.

Scriptorum plures etiam secundum variam humoris exsudati indolem scabiem in siccam sive caninam ¹⁰⁾ et humidam, et Willan ¹¹⁾ in quatuor species dividerunt, quae sunt: scabies papuliformis, lymphatica,

1) Commentar. in Boerhavi Aphor. III. 2. §. 1110.

2) Medic. chirurg. Wahrnehmungen Theil II. casus XII. Berlin, 1764.

3) De causis et signis morb. II. pag. 259.

4) l. c. §. 506.

5) l. c. pag. 40.

6) l. c. pag. 81.

7) l. c. pag. 152.

8) l. c. pag. 11.

9) l. c. pag. 120.

10) l. c. pag. 40.

11) Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung etc.

purulenta, cachectica. Atqui scabies papuliformis eadem quae sicca est, lymphatica s. vesicularis et purulenta s. pustulosa eadem quae humida sunt. Papuliformem in hominibus aetate provectoris observabis, ubi cutis sicca atque arida vesicularum impedit evolutionem. Scabiem purulentam Bielt¹⁾ omnino negat et impetiginem fuisse contendit; neque scabies vera fuit, quam Willan cachecticam describit.

Denique nonnulli medici³⁾ scabiem spuriam s. symptomaticam commemorant, quam alii psoriasin alii psydraciam nominant et quae quum contagio nunquam oriatur et disseminetur, ne confusio major fiat, scabiei nomine designare non debet. Hoc etiam maxime ad istos morbos cutaneos scabiei similes et subito idiosyncrasia effectos pertinet, in quos nonnulli quandoque homines, sicuti mercatores et pistorum, caneros, rubia, saccharum, farinam apprehedentes, implicantur, nec minus id istam tangit scabiem, quae usu thermarum salinarum vel, quod ipse vidi, balneis maritimis concitatur et quam false „Badekrätze“ dicunt.

Cap. IX.

Simplex morbus scabies observatur, aut variis cum morbis aliis cutaneis vel internis simul existere potest. Horum eczema saepissima complicatio est, lotionibus atque frictionibus allata irritantibus, quas medicastri commendarunt. Nimia cutis irritatione facta scabiem vel impetiginis pustulae nec raro ecthymatis comitantur, quae ibidem imprimis apparent, ubi vesiculas agminatas repereris. Atqui istae pustulae minime scabiem pustulosam, qualem nonnulli false habuerunt, sed complicationem solam componunt malo regimine concitatam et praecipue adolescentibus, sanguiniciis nec non irritabilibus hominibus propinquam. In-

1) l. c.

2) l. c. III, §. 606.

inflammatio cutis scalpendo initiata et aucta telam etiam cellulosa in eundem morbum injungere valet, qui fit, ut quandoque magna furunculorum copia exoriatur. Interni etiam et totius corporis morbi, scrophulosis, scorbutus, syphilis, arthritis simul cum scabie locum habere licet, ita quidem, ut neutra in alteram quidquam valeat. Scrophulosis cum scabie imprimis in pueris complicata est; scorbutus lividas vesiculas efficere dicitur.

Cap. X.

De scabiei causis ex antiquissimis temporibus multum medici disceptaverunt et ne hodiernis fere quidem certam aliquam morbi causam invenerunt, quam quisque laudaret. Causarum potius tanta copia allata est, ut fere nulla res non nociva sat valida ad procreandam scabiem ab iis habita sit. Hippocrates quum scabiem morbis non adnumeraverit, etiam de causis morbi nil adnotavit. Inde vero a Galeno dissensiones de scabiei causis jam inceperunt et hucusque auctae sunt, quae quo facilius comprehendi possint, in duas classes dividantur, in causas praedisponentes sive remotas et causas proximas sive occasionales.

Causae praedisponentes: sicuti in ceterorum morborum aetiologia causae ipsorum praedisponentes statuuntur, quibus adjuvantibus tantum morbus inchoare possit, tales etiam pro scabie ejusque faciliore genesi medicorum alii supposuerunt, alii prorsus omittunt et non agnoscunt. De his ergo sunt magnae dissensiones. Scabies perquam frequens morbus est, nulli aetati, nulli sexui atque constitutioni corporis parcat, omnibus anni temporibus, in omnibus climatibus vitaeque generibus observatur, maxime autem homines humilioris notionis, paupertate atque penuria oppressos et ab omni corporis cura prorsus destitutos corrumpit.

Imprimis vitae annis hominum certis et negotiis, aliisque conditionibus nihil non ad procreandam sca-

biem a nonnullis medicis tribuitur: scabies enim maxime pueritiam et juventutem, homines sanguinicos et lymphaticos, viros, demum eos, qui laneis telis ut sartorii etc. negotiantur, affligere, nec minus vernis temporibus atque aestivis et in regionibus meridionalibus vigere dicitur. Pueritiam et juventutem saepissime scabiem occupare, experientia docet et proportioni magnae earum et dispositioni innititur causis efficientibus obnoxiarum; idem de viris, qui foeminis magis quam scabiei contagio obnoxii sint, saepius etiam ab ea afficiuntur ¹⁾. Tamen ab hoc Richter ²⁾, qui pueritiam s. teneros raro tantum scabie affligi contendit, et Haase ³⁾ qui hieme scabiem saepius observari quam aestivis temporibus dicit, dissentiunt. Ex negotiis hominum variis plures medici fere omnia deduxere scabiei semina, sic Haase ⁴⁾ ex impuro vitae genere atque negotiis sordidis, quibus varii opifices ex gr. sartores, tibialium textores, pannifices operam dant, et Schönlein ⁵⁾ ex peculiaribus quibusdam sordibus ex gr. lanae inhaerentibus praedispositionem pro generanda scabie apud tonsores, pannarios et pannifices, nec non apud scriniarias, qui vernice copali utuntur, deduxerunt. Guldener de Lobes ⁶⁾ iudice iis etiam sordibus, quae ex impedita cutis exhalatione, ex sudoribus et muco folliculorum sebaceorum, nec non ex neglecta linteamentorum permutatione, lotionibusque omissis proficiscuntur, perquam favetur, ita ut quodammodo peculiaris quaedam sordes humanae, quo facilius scabiei contagium applicetur et latius propagetur, abesse nequeant. Victus etiam et terra et clima permultum valent, scabies utrum saepius an rarius appareat: saepius enim et latius in iis regionibus, ubi multi casei acidi consumuntur et in terris monta-

1) Biett l. c. pag. 112.

2) Richter l. c. pag. 133.

3) Haase l. c. §. 609.

4) l. c. §. 609.

5) l. c. pag. 60.

6) l. c. pag. 48.

nis ut in Helvetia et in Rhaetia, nunc „Tyrol“ dicta, rarius in planis et regionibus paludosis observatur. In climatibus porro tropicis innormalem formam scabies habere et pertinax esse dicitur ¹⁾, in temperatis vero optime vigere videtur.

At vero ii procul fere scabiei aut raro tantum ab ea afflicti observati sunt, quorum vita et opificia munda sunt, frequentesque lotiones requirunt, ex gr. molitores, pistores, lotrices, cerdones, porro ii, qui manganum scindunt, qui vegetabilibus acido tannico praeditis, sulphure, metallis adstringentibus uti plumbo, mercurio, zinco utuntur ²⁾, demum liquatores spirituosorum ³⁾, stabularii et omnes, qui stabulum olent et abdomine laborant ⁴⁾.

Nonnulli medici etiam internam quandam peculiarem praedispositionem pro generanda scabie, sibi ipsis haud claram quidem et notam divinant eam ob rem, ob quam partim cunctae gentes scabie corrumpantur, nonnullis tantum exceptis hominibus aequae ac alteri contagio obnoxiiis, partim experimenta retrogressam scabiem arte restaurandi et inserendi vana et irrita fuerint ⁵⁾.

Causae proximae: Medicorum qui cum causas praedisponentes scabiei tum proximas statuerunt, ea sententia sunt, ut credant, morbum eo facilius erupturum, si illa ejus semina, quae modo enumeravi, corpori insident. Atqui plures scriptorum, quod jam dixi, causas praedisponentes plane omiserunt et solas morbi proximas protulerunt, quorum duo quasi genera pensitantibus nobis occurrunt, alterum causarum internarum, alterum externarum. Modo enim medici totam massam sanguineam in scabie vitiata esse credide-

1) Richter l. c. pag. 134.

2) Haase l. c. §. 609.

3) P. Frank's Grundsätze etc. pag. 960.

4) Guldener von Lobes pag. 45.

5) Dolaëus: Opera omnia. Encyclop. chir. lib. V. cap. IX. §. 11.

runt et vel ex acida vel ex salsa ejus materia, vel ex fermento aliisque acrimoniis peculiaribus scabiei originem deduxerunt; modo contagio, modo miasmate, modo insecta quadam morbum oboriri censuerunt.

Galenus qui saepius de scabie verba facit, semel tantum et obiter contagio morbum, saepissime vero ex atra bile vel aliis acrimoniis depositis exoriri contendit; humidiores enim scabiem generari vult a sanguine cum admixtione phlegmatis salsi, sicciorem autem fieri per contagium statuit nec non e cibis salis, nimis calidis et aromaticis, acutis et amaris. Paracelsus scabiem procedere dicit ex sale liquoris, nec ex cruoribus resolutis provenire dubitat. Causa scabiei ad mentem Helmontii est vitium et contagium pellis virulentum proprium, non vero jecoris, principio scilicet interno spontaneo, sive externo, fomite contagioso aliunde haustum et transplantatum in contactu sc. corporis, linteis vel suppellectilis infectae, in pelle tangentis concepto. Willisius ex humore lymphico acido salino facto in glandulis cutis constanter residente scabiei originem provenire dicit. Sylvius causam scabiei esse humorem acrem dicit, simulque glutinosum, et potissimum acrimoniam acidam esse causam reputat; humores istos etiam acres acidosque in corporis superficie haerere vult, aliquando propter pituitam glutinosam ipsis admistam, aliquando propter aliquod in diaeta vitium patratum. Cartesiani statuunt, scabiem ab obstructione oriri tubulorum cutis, quod iisdem succi inhaereant spissi et viscosi. Dolaeus ¹⁾ assentit, qui obstructione et erosione glandularum et tubulorum lymphaticorum subcutaneorum, sale quodam acido coagulante et obstruente effectis, scabiem eriri dicit.

Nonnulli medici, ut Plenkius ²⁾, Hahnemannus ³⁾ et Haase ⁴⁾ proximam scabiei causam miasmati

1) l. c. pag. 39.

2) Organon der Heilkunst. 5te Aufl. Dresden u. Leipzig, 1833. §. 80.

3) l. c. §. 610.

scabioso tribuerunt, quod glandulas cutaneas occupare amet¹⁾, ipsius scabiei et plurimorum morborum aliorum causa proxima et gravissima sit²⁾, cujus verum natura aequae ac aliorum miasmatae minime innotuerit³⁾. Plurimi medici⁴⁾ tamen contagium peculiare morbi proximam causam exhibere consentiunt, quod humoribus vel serosis vel lymphaticis vel puriformibus, ex vesiculis vel pustulis vel ulceribus effusis, insideat⁵⁾, cujus quidem natura, quum chemica analysi nequeat explorari, lateat⁶⁾, quod autem haec prae se ferat momenta: Contagium scabiosum fixum est et contactu scabiosi immediato, vel lectulo, lana, vestimentis aliisque rebus, materia scabiosa contaminatis atque infectis, ad alios homines propagari potest. Quum vero difficile tantum applicari queat, longiore contactu atque concubitu continuato, nec non aucto calore opus est⁷⁾, nec aëre disseminatur; per longum autem tempus iis rebus, quibus scabiosus usus est, inhaerere potest, et facultatem alios inficiendi retinet; quod quidem quamdiu valeat, non satis exploratum est, at certo haud tamdiu, ut sartores panno ex lana ovis scabiosae texto infici possint, id quod Guldener de Lobes⁸⁾ optime exposuit. Contagium scabiosum per semet ipsum denuo redditur, itaque latius in corpus diffunditur, idem in cutem tantum agit et corpori aliter illatum aut succis admixtum debilitatur⁹⁾, denique ab imperio constitutionis aëris fortassis haud pendet¹⁰⁾,

1) Plenck, l. c. pag. 39.

2) Hahnemann, l. c. §. 80.

3) Haase, l. c.

4) Guldener de Lobes, l. c. pag. 41 et 141. Batemann, l. c. pag. 242 et 244. Schoenlein, l. c. pag. 61. Richter, l. c. pag. 138.

5) Richter, l. c. pag. 139. Batemann, l. c. pag. 244.

6) Richter, l. c. pag. 138.

7) Schoenlein, l. c. pag. 61.

8) Haase, l. c. §. 610.

9) l. c. pag. 159 sqq.

10) Guldener de Lobes, l. c. pag. 37.

nec facultatem iterum atque iterum inficiendi amittit 1).

Jam vero de ea praeclarorum virorum sententia, contagium scabiosum vivum esse et morbum insecta quadam generari, exponendum est. Perscrutantibus nobis hujus sententiae in derelictis nobis scriptorum monumentis vestigia, prima apud Ebn-Zohr sive Avenzoar, medicum hispanico-arabicum seculo duodecimo degentem, tunc apud Ingrassiam, Neapolitanum, Gabucinum, Laurence, Joubert, qui seculis 14 et 15 vivebant, invenimus, qui pedicillos illas insectas nominant et acarorum instar describunt, sc. perparva animalcula, quae oculos effugiunt et sub epidermide nidulantes parvas, humore tenui impletas et acriter prurientis pustulas efficiunt. Hos Anglus Mousset 2) anno 1631 secutus est accurate quidem insectas istas designans, quas quum etiam in caseo vetere et cera innasci dicat, cum iis certe confudit, quae in cute sola humana oriuntur. Has insectas porro Germanos „Seuren“ et earum extractiones ex cute artificiales „Seurenjagen“ nominare narrat; sedem etiam syronum sive acarorum scabiei non in ipsis pustulis et vesiculis sed prope, nec istos de pediculorum genere esse docet. Hauptmann 3) anno 1657 primus acarum depinxit, qui etiam Hafenreffer 4) innotuit. Franciscus Redi, illorum aequalis et idem, qui circa generationem animalculorum ex putredine aequivocam, quam Hippocrates jam statuerat, constanter repugnavit, tamen acari qua ratione evolvantur et vesiculae proferantur dilucidavit. Verum certam et peni-

1) Haase l. c. §. 610.

2) Theatrum insectorum. Fol. London, 1558.

3) Uhralter wolkensteinischer warmer Bad — und Wassertschatz. Leipzig. 1657.

4) Nosodoch. cutis affect. pag. 77.

tiorem acarorum scabiei descriptionem nec non delineationem primam G. Cos. Bonomo ¹⁾, Italus, anno 1682, in epistola edidit Redio data, ubi acarum causam scabiei accusans, testudini, quod ad formam similem esse, etiam unum eorum oviparentem se vidisse dicit. Atqui haec ova quum oculis armatis perceperit, generationem acarorum universam ex his deducit et morbum praecipue eam ob causam contagiosum esse explicat, quod illi acari, etiam a corpore sejuncti, duos vel tres dies vivere et facillime contactu aut vestimentis, quibus inhaereant, translocari possint, quo facto ovis partis celeriter augeantur. Seculo decimo octavo Linnaeus, de Geer, Fabricius, Latreille acaros observarunt et descriptionibus etiam acarorum Syronum, utrumque a pediculorum genere diversum esse, probaverunt. Linnaeus ²⁾ autem, scabiem dicens ex acaro farinae oriri et acarum humanum eundem esse atque farinae, erravit. Plenkius ³⁾ anno 1776 speciem scabiei protulit verminosam, in qua vermiculi seu acari reperiantur, qui corruptela quadam humorum, scabiem praecedente, acaros in caseo vel farina latentes alliciantur, ut in cute nidum quaerant. Hos etiam acaros omnes uni speciei tribuit. Decem annis post Wichmannus ⁴⁾ hanc rem perbene tractavit, acarum ipse quidem observavit, sed causam eum scabiei non distincte nominavit. Postea disquisitiones de scabiei origine minoris habebantur et ipsi acari animis excidebant. Atqui nuperrime Gales ⁵⁾ pharmacopola Parisiis in xenodochio sancti Ludovici anno 1812 triginta acaros penitus se observasse, ita ut vel quomodo generentur et ova pariant descripserit,

1) Osservazioni intorno a pellicelli del corpo umano dal G. Cos. Bonomo. Fiorenz. 1683.

2) Exanthem. viva. Upsal. 1757; Ammoen. academ. Vol. V. Holm. 1760.

3) l. c. pag. 42.

4) Aetiologie der Krätze. Hannover. 1786.

5) Essai sur la diagnostic de la gale, sur ses causes etc.

contendit. Quod quum ita esset, nemo quin acari ad-
sint dubitavit. Alii etiam et Biett ¹⁾ acarum investi-
gare studuerunt, hic vero optimis instrumentis instruc-
tus nunquam vidit, itaque non apparere has insectas
arbitratur. Batemanno ²⁾ etiam acaros perspicere
nunquam contigit, ergo raro tantum et fortuito nasci
credit. Novissimis temporibus Albin Gras ³⁾ et
Raspail ⁴⁾ Parisiis hancce rem tractavere, quorum
hic observationes comparatas de acaro scabie hominis
et equi et de acaro Syrone, delineationibus eorum il-
lustratas, proposuit, in quibus etiam fraudem detexit,
qua Gales consulto acarum Sironem pro eo hominis
supponens eruditissimos Parisiis viros, Bose, Du-
meril, Latreille, Leroux, Olivier fefellerit.
Ejus praeterea acari delineationes nobis eam, quam
Bonomo dixit, insectam, ante oculos ponunt, multo
autem diligentius et accuratius perfectae sunt.

In Germania quoque haec res minime neglecta est,
initio enim anni elapsi in nosocomio Caritatis Beroli-
nensi cell. Stannius, medicus practicus apud Beroli-
nenses, primus, nec non cell. Koehler, medicus
praefectus in nosocomio Caritatis, acarum investiga-
runt et observarunt.

Quum de ordine, quando, a quo et qua ratione
acari scabiei inventi sint, egissem, accurate horum ani-
malculorum quoque descriptionem et vitam quaeque
alia de iis notaverim, haud neglectis aliorum virorum
de iis observationibus, addam.

Atqui nomina multa huic insectae, quam alter al-
teri insectarum classi subjunxit, data sunt, quorum
ego graviora tantum, ne multus fiam excipiam:

1) l. c. pag. 117.

2) l. c. pag. 244.

3) Recherches sur l'Acarus ou Sarcopte de la gale de
l'homme. Paris. 1834. 8.

4) Vergleichende Untersuchungen und Naturgeschichte des
Insects der Krätze. Aus dem Französischen mit An-
merkungen von G. K. Leipzig. 1835.

Acarus psoricus s. *scabiei* (Pallas) ¹⁾, *Acarus exulcerans* (Linnaeus), *humanus* (Wichmann), *Sarcoptes scabiei* (Latreille), *Sarcoptes hominis* (Raspail), le Ciron (de Geer), *Cheyletus scabiei* (Cloquet), *Syro* (Mouflet) la Mite, *Sarcopte*, *Seure*, *Krätzmilbe*.

Acari scabiei perparva sunt, ne dimidium quidem millemetri longa ²⁾, animalcula, microscopica, pellucida et albida, quorum corpus fere orbiculare ³⁾ utrinque quasi compressum, testudineforme et striatum est, cujusque tota superficies laxo et denso rete celluloso tegitur ⁴⁾. Dorsum testudini testae simile et immobile causa, ob quam Bonomo acaros perdura animalcula dixerit, fortasse fuere, porro subfurvum et papillis rigidis hirtum et coniformibus, quae pluribus ordinibus positae atque nonnullis tenuibus et longis crinibus distinctae sunt ⁵⁾. Pedes iis sunt octo fusco-rubri ⁶⁾, ex quatuor artubus compositi, criniti, quorum quatuor anteriores, longiores et aroliis praediti, circa caput dispositi et quasi palmati sunt, quorum quatuor posteriores aequae ac anteriores formati sunt, sed breviores et corpori affirmati distant, aroliisque egent. Quatuor enim, anteriorum pedum quisque caruncula quadam caliciformi vel catilliformi finitur, qua etiam glaberrimis rebus assugendo se infigant, quamquam animalcula sponte modo amplificare, modo complanare, modo contrahere possint. Huic organo varia nomina ii indidere, qui acaros observarunt, nam Raspail, quum motioni sibi inservire videatur „ambulacrum“, Nitzsch „arolium“, et Dugès „caroncules“ nominaverunt. In finibus quatuor posteriorum pedum pro istis ambulacris crines positi sunt, qui totius corporis longitudi-

1) *Dissertatio de insectis viventibus*. 1760. pag. 2.

2) Albin Gras. l. c.

3) Albin Gras. l. c.

4) Raspail. l. c.

5) Albin Gras. l. c. — Bonomo. l. c.

6) Raspail. l. c.

nem habent. Verum ita acaros in ambulando pedibus utentes observavi, ut solis istis ambulacris, quae ginglimo movere possunt, res calcant, quatuor vero posterioribus pedibus ut proni proferantur, efficiant. His enim acari ut incedant eadem ratione atque halmaturi gigantei cauda subsilientes nituntur, uti mihi visi sunt. Acarorum pedes Wichmann¹⁾ breviores et crassiores, et quatuor anteriores propiores ab capite dispositos esse, quam in ceteris acarorum speciebus, dicit, nec Bonomo sex pedes tantum, caput acuminatum et apicem oris corniculis quibusdam instructum observavit. De his autem corniculis, tentacula sint an pedes, dissensiones erant, Linnaeus²⁾ enim tentacula, Schaeffer³⁾ antennas pediformes articulatas eadem esse dixerunt, et de Geer⁴⁾ tentacula negat, sed brachiola articulata, iis araneorum consimilia esse censuit, ego vero tentacula iis cancerorum persimilia esse credo. Albin Gras neque caput, neque thoracem, sed rostrum vel proboscidem quandam, brevem, rubram et paullo complanatam distinguere potuit, quae mandibulis duabus, cancerorum chelis similibus, composita, cujusque finis rotundatus, pluribus crinibus distinctus et angulo adaptatus est, qui in lineam rutilam in thorace prolongatur; idem porro pedes fere omnino a ventre obtegi et anum in posteriore corporis parte modo prominere modo occultum esse notavit. Verum ambigua de ano prominente res est, nam egomet ipse eundem pyriforme prominentem vidi, etiam organum genitale masculinum esse censui. Non enim aliud quodquam mihi observare contigit sexus discrimen.

Variae atqui clarissimorum virorum de acaro humano observationes haud clarae mihi et verae esse videntur, itaque quae me luculentius et rec-

1) Aetiologie der Krätze etc. pag. 39.

2) System. natur. ed. XII.

3) Elementa entomologiae, 1766. 40.

4) Mémoires pour servir a l'histoire des insectes. 1778. T. II. p. 85.

tius vidisse persuasum habeo, ordine proferam. **B**onomo enim sex pedes tantum et dorsum longis et tenuibus crinibus distinctum se vidisse dicit, quum octo adesse et papulas tantum coniformes in dorso esse correctiora microscopa docuerint. **Raspail** corpus acari utrinque quasi compressum et **Albin Gras** rotundatum et fere orbiculare describit, at ventrem solum, quum insectae forma testudini simillima sit, compressum, dorsum autem perquam cameratum semper vidi. **Albin Gras** caput et thoracem adesse quidem sed non bene dignosse dicit ab reliquo corpore, pedes omnes fuscorubros, in dorso maculas duas rubras semilunares vidisse contendit; haud ita vero difficile caput ab reliquo corpore discernendum, sat maxime enim prominet et separatis ab eo absolutisque motionibus noscitur, neque enim pedes alium totius corporis colorem, nisi albidum habent, nec maculae istae semilunares adsunt. Praeterea papulas istas in dorso coniformes non crinitas rectius coniculos appellamus, quum basin ampliolem et rotundam nec non apicem obtusum habeant. Pedes acarorum, quos cell. **Albin Gras** observavit, sanguine fortasse turbati et tincti erant, cum ex nimia cutis altitudine eos effoderit, et maculae istae in dorso semilunares, quas ipse vidi, radio- rum ibidem declinatione exortae sunt, quum semper accuratius indaganti mihi evanescant. Etenim alii dorsum, quod albidum est, subfurvum conspexisse narrant. Extremitatum porro anteriorum fines vel appendices alii arolium, alii caroncules nominarunt, rectius mihi **Raspail** has partes cognovisse et nominasse videtur, quum ambulacria nominaverit. Non enim istae appendices, excepta peripheria, solidae sunt, sed perforatae, quod ex eo mihi saepius liquit, quum varias res coloratas, quae fortuito his appendicibus acari calcabantur, ne minimum quidem respectu coloris mutatas vel turbatas inspexerim. Pedes ergo anteriores ex quatuor membris compositi sunt: brachium enim corpori affixum, crassum et nonnullis in apice crinibus distinctum, tribus articulis conformatur, qui aegerrime tan-

tum et paululum flecti possunt; antibrachium ginglimo cum brachio conjunctum multo tenuius est et aequè cylindricus, eandem etiam fere brachii longitudinem habet; carpus minimus mihi adesse visus est, qui cum ambulacro conjunctus rotationi et ginglimo inserviat: ambulacrum jam antea descripsimus et falculis fortasse minimis instructum divinamus. De rostro vel proboscide, quam Albin Gras accuratius descripsit, quum nil clarum et certum observare mihi contigerit, ne falsa proferam, taceo.

Acarum humanum s. scabiei in omnibus terris atque climatibus inveniri, verisimile est, saepius vero, quamquam vel Groenlandiae incolis innotuit¹⁾, in regionibus australibus occurrere videtur, quum in Italia et in Hispania primus et saepissime inventus sit. Quibusdam autem annis aut anni temporibus solito majore numero generentur, nec ne, nondum convenit, ex eo autem, quod de aliarum insectarum genesi similia observata sunt, colligi potest.

Acarus sub epidermide et supra eutem hominis tantum habitat, non enim ad alia animalia transiisse expertum. Rarissime supra epidermidem acari occurrunt, quorum Bonomo²⁾ in sulcusculis flexurarum phalangum paucos invenisse dicit. In cuniculis maxime, quos sibi foderunt, habitant, nam epidermidi impositi ejus sulcusculos acari petunt et proboscide perforant, quo meatus illi sub epidermide tenues filiformes vel capilliformes, quos cuniculos Raspail et Albin Gras nominarunt, formantur, qui varie flexi atque directi, modo longiores modo breviores, quorumque parietes materia fibrosa exsudata quandoque spissiores redditi sunt, ita ut lineam extrinsecus paullo eminentem sed vix notabilem efficerent.

Mibi quidem isti cuniculi talparum meatibus simillimi esse videntur, nam uti in his terra, sic in illis

1) O. Fabricii Faun. groenlandic. 1780. pag. 13 et 221.

2) l. c.

epidermis aggerata est. Ipse tamen acari in cute nidus mihi saepius in scrobiculo proprio, magis minusve ex magnitudine insectae amplo, et in cutem penetrante inesse visus est. Cuniculorum istorum directionem in phalangis saepissime et praeprimis eandem sulcuculorum epidermidis esse, in ceteris autem corporis partibus, uti in vola et dorso manuum aut antibrachiis per variam, aut rectam aut curvatam et irregularem observavi. Quorum etiam longitudo maxime variat, Wichmann¹⁾ enim digitales paucos, reliquos omnes breviores invenit, ego etiam modo longiores modo breviores, unam vel quatuor vel sex lineas longos observavi. Atqui in omnibus partibus, imprimis vero in fine horum meatuum acari habitare solent, saepissime enim sub epidermide rubicundum, pulicis ictui excepto halone simile punctum, aut tenue punctatum vestigium nudis oculis animadvertes, meatum acari et sedem per epidermidem perlucens. Punctum illud in apice aut in lateribus vesiculae novissime eruptae et in albida quadam macula perspicui dicitur, linea autem ista punctata variis in locis, praesertim prope ad vesiculam magis provectam invenitur, quae nunquam aut forte tantum cum meatu illo conjuncta est²⁾. At mirum, quod in vesiculis acaros non solum habitare medici olim crederunt, sed quibus vesiculis etiam et qua ratione extraxerint, narrant, quum nostris temporibus fere nulli nisi ex cuniculis istis acaros effodere contigerit.

Moufet³⁾ etiam et plurimi medici acaros non in vesiculis et pustulis sed juxta easdem sedem habere consentiunt, cujus rei causam Plumbe⁴⁾ humori tribuit, irritatione per acarum concitato, in quo ipse acarus vitam degere non valeat, itaque ab vesicula discedat. Atqui jamjam Bonomo in vesiculis praesertim lymphaticis, et Cestoni atque Wichmann in vesiculis aca-

1) l. c. pag. 48.

2) Albin Gras. l. c.

3) Theatrum insectorum, 1634. cap. 24.

4) on Diseases of the Skin, 2 edit. pag. 306.

ros scabiei interdum invenisse contendunt. Hic, cui in vesiculis acari saepissime occurrerunt, in pustulis magnis, pus continentibus, itaque veteribus adesse eos negat, sed initio morbi et in vesiculis recentibus, quae modo aquosum et pellucidum humorem contineant, nonnunquam invenisse dicit¹⁾. Punctum minimum enim opacum, nudis oculis perspicuum et ab humoris contenti colore varium in vesicula tali observari docet, quod ipsum acarum exhibeat. Praeterea acari, quum in magnis vesiculis non adsint, aut sedem relinquere, aut omnino obire ei videntur, sicuti aliae insectae, subole in tutum collocata, pereant²⁾. Nuperrime vero **Albin Gras**, **Raspail** et multi alii semper acaros in fine cuniculorum, nunquam in vesiculis aut pustulis invenerunt, itaque ex cuniculis solummodo acaros effodi posse docent. Verum tamen ipse ego, priusquam cuniculum patefacerem acaros ex vesicula, acu aperta, ter effodi, itaque neque **Bonomono**, **Cestonio** et **Wichmanno**, neque **cell. Baumio** contrapugnem, qui nuperrime ex vesiculis recentibus acaros eduxisse dicitur. Testem ego etiam habere gaudeo **cell. Schiess**, medicum practicum apud **Magdeburgenses**, qui acarum ex vesicula effodentem me vidit. Praeterea saepius ne vesiculam quidem aut pustulam his cum cuniculis communicantes, sed solitarios tantum cuniculos, quibus acarus insidebat, observavi. Non enim in omnibus cuniculis acaros invenies, etiamsi punctum istud adsit opacum; porro verisimillimum mihi, acaros mortuos exarescere et internae epidermidis superficiei quasi agglutinatos una cum desquamata epidermide decidere, visum est. Nidum etiam acari semel, sublata cuniculi epidermide, equidem detexi, in quo quatuor teneres ordine juncti prope ad parentem unum fere locum occupabant et armatis oculis acari agnoti sunt. Jam plures medici³⁾ in iis tantum hominibus, qui me-

1) **Wichmann** Aetiologie der Krätze etc. pag. 46. et 75.

2) l. c. pag. 74.

3) **Albin Gras**. l. c.

dicamenta nondum quidem sumpserunt, acaros apparere contenderunt, quibus, quum foeminae triginta dies ultra curatae acaros et postea extraxerim, contrapugnem. Alii denique ex iis cuniculis, in quibus nulla pustula locum habebat lymphâ repleta, quum acarum effodere non potuerint, acarum aut exstingui aut novum meatum fodere colligebant. Rarissime etiam duo cuniculi ab una vesicula exeuntes, saepius plures vesiculae ab uno cuniculo ortae offeruntur. Quaerenti vero, quot acari in scabioso homine inveniantur, nil certi respondere valeo. Numerus enim acarorum variis in hominibus maxime variat, modo plures modo pauciores adsunt, tamen, quotcunque adsint, in carpo et metacarpo, saepissime autem in phalangibus indaganti mihi apparebant. Verum ex his et quod Wichmann cuniculos in manibus tantum et phalangibus observari jam docuit, ego non praescriberem, in pedibus aliisque in corporis partibus cuniculos cum acaris nullo modo invenire posse, quum jam in pectore acarus semel observatus sit. Aetas acarorum humanorum in cute humana, vestimentis aliisque in rebus, magis minusve longa constituitur. Nam Bonomo duos vel tres, alii quinque vel sex dies acaros extra corpus, et Albin Gras viginti dies acarum in cute digiti sui vixisse docuerunt, hic etiam insectam illam in aqua destillata tres horas, in aceto, alcohole triginta graduum et in solutione Kali carbonici viginti minutas, in solutione Kali sulphurici duodecim, in spiritu terebinthinato novem, demum in solutione arsenicali quatuor minutas viventem observavit. Per longius autem tempus acaros humanos a corpore aegroti remotos vivere posse, ex eo fortasse concludendum, quum acaros scabie ovium in pelle ovilla exsanguis aliisque in rebus quindecimo vel vicesimo adhuc die, conditionibus ceteris non ineptis, vivere, experimenta docuerint. Etenim frigore acari mox perdunt aut aegre saltem corpus moliuntur, calore autem temperato agiles fiunt et optime valent. Effossus ex cuniculo acarus scabiei instrumento statim se affigit, nudisque oculis tam facile ab aliis rebus

dignoscitur, ut vel pedum motiones perspicere queas; integer enim et non laesus acarus huc atque illuc serpit citius aut tardius, prout res, cui insidet, viva aut exsanguis, glabra aut hirta est. Cuti impositus vivae alicui acarum alacriorem fieri, in rebus autem inanibus et glabris tardas ejus motiones saepius observavi.

Jam vero de acaro ejusque vita locutis nobis ad id etiam animus, scabiei acarus utrum causa morbi sit, an ab eo nascatur insecta et efficiatur, advertendus est. Simul atque enim primus acarus inventus erat, nemo non, ut fit, contagii morbique naturam se sibi cognosse videbatur, et aliis ob alias occultiores sententias illudebat. At multi acarum nullo modo invenire poterant, itaque pathologiae animatae haud addicti adesse eum negabant et ad eos deficiebant, qui aut ab acrimoniis aut ab impuro vitae genere, aliisque rebus nocivis scabiem oriri jam pridem statuerant.

Omnes autem, qui invenerunt et observarunt acarum et quos jam antea nominavi, eundem scabiei causam proximam habuerunt, quibus J. et P. Frankii¹⁾, Wichmann²⁾, Hildebrand³⁾, Albin Gras⁴⁾, Raspail⁵⁾ et alii multi assentati sunt.

Notum etiam est, Linnaeum⁶⁾ scabiei originem ex acaro farinae ducendam esse censuisse.

Non temere utraque quasi factio de origine morbi sententiam suam confirmare studuit. Alteri enim, J. Gestonum sectantes, qui primus acarum humanum causam scabiei exhibere, morbumque prorepente acaro disseminari et contagio alteri ab altero communicari

1) P. Frank's Grundsätze etc. Th. 4. §. 436.

2) Aetiologie der Krätze pag. 64.

3) Bemerkungen über den Krätzeausschlag etc. pag. 8.

4) Recherches sur l'Acarus etc. l. c.

5) Vergleichende Untersuchungen u. Naturgeschichte des Insekts der Krätze. Aus dem Franz. mit Anmerk. von G. K. Leipzig, 1835. 8.

6) Dissert. exanth. viva. Upsal, 1757. — Amnoen. acad. Vol. V. Holm. 1760.

certo commendavit ¹⁾, eidem sententiae de vivo contagio scabiei favent. Idem nempe acaros uti pediculos capitis alteri ab altero transferri, humoribus vitiatis augeri et materiam scabiosam alimentis corruptis nec non morbis epidemicis, ut facilius recipiatur, idoneam reddi docent ²⁾. Etenim materiam scabiosam sive acaros istos psoricos incitamento partim, quod efficiant, partim cacochymia, quae ab iis orta sanguini immisceatur, cutem aegrotam et ulcerosam reddere censent ³⁾. Alii solos acaros et non lympham scabiosam morbi semina esse dicunt, quod Gales, Hecker et alii experimentis sc. acarum in sanum hominem transplantatis, demonstrarunt, quum morbus cutaneus inde secutus sit, qui nulla re a vera scabie dignosci potuerit, contra nulla prorsus affectio cutis psorica ex humoribus scabiosis aliis hominibus insitis profecta sit. Idem etiam in ovium nec non equorum scabie observatum, soli enim acari sanis ovibus et equis impositi semper, nunquam lympha, crustae, aut pus scabiosum, ab acarum eorumque ovis depuratum, scabiem efficere valuerunt. Quid quod, scabiem contagiosum esse morbum diffitentur, quia pus, lympha vel crustae translatae scabiem non effecerint; immo rem adeo distincte instituunt, ut acarorum praecipue foeminis impletis scabies longius vicens progredi possit, masculis autem translatis nonnulla tantum morbi molimina, non diuturna excitarentur ⁴⁾. Porro hi, qui acarum scabiei morbi causam esse dicunt, sponte morbum ex acrimoniis, alimentis corruptis et tenuibus etc. inchoare posse obnituntur, quum nulla peculiaris scabiei acrimonia concreta et corporea comprobata sit, nec humores abnormes et irregulares initio morbi, sed acari soli, qui profecta scabie evanescant, semper appareant.

1) Opere di Francise. Redi. Tom. I. append. 14.

2) Hildebrand's Bemerkungen etc. pag. 7.

3) Hildebrand l. c.

4) Magazin für die gesammte Thierheilkunde von Dr. Gurlt und Dr. Hertwig. 2tes Quartalheft. Berlin, 1835. pag. 137 et 197.

Alii etiam scabiem eo latius serpere, quo magis acari numero augeantur, et vel evanescere omnino investigatis acaris atque peremptis, statuunt, alii morbi symptomata plus minusve temporis nihilominus permanere docent¹⁾. Eo etiam nonnulli, naturam contagii scabiosi externam et vivam esse, argumento usi sunt, quod medicamenta externa et topica, balnea et lotiones crebriores, nec non nitor externus scabiem tollent.

Multa vero in pensitatis de hac scabiei ex acaro humano origine argumentis nobis offendunt, quae non sat valida et certa id demonstrare videntur, quod probare debeant; praeterea alteri, qui genesi isti ex acaro minime favent et vanam eam atque irritam habent theoriam, argumentis e diverso acriter contrapugnant. Novum enim et insolitum iis videtur, ipsam scabiem insecta quadam oriri, quum nullus alius morbus cutaneus similem originem habeat, nec cur modo serum modo lympham, modo pus agitante acaro secernatur, explicari possit. Acaros inchoante morbo deesse et ne in sicca quidem adesse, immo sanis hominibus insitos scabiem haud excitasse contendunt²⁾: id quod altera factio experimentis observasse et confirmasse dicit.

Falsum etiam esse experti sunt, scabiem externis et topicis medicamentis tantum curari posse, quum non minus sincere, quamquam tardius, internis non solum jam sanata scabies, sed his etiam in scabie inveterata saepissime utendum sit. Etenim alia argumenta, acarum humanum scabiei causam non esse proximam, arguunt. Dubitandum profecto, quin tota acarorum turba, quae incipiente morbo in infecto saepe invenitur, contactu transierit, tam varias et multas corporis partes simul affecerit et brevi tempore numerus acarorum ovis partis tantopere adauctus sit; acari enim tardius se movent itaque neque breviori contactu recipi, ne-

1) Albin Gras. l. c.

2) Levi: Dissert. de varia scabiei indole. Gotting. 1690. 4. Grossmann: in Baldinger's neuem Magazin f. Aerzte. Bd. XI. St. 1. Sager: ibid. Bd. XI. St. 4. Bonnet: Dissert. de la gale. Paris, 1815.

que ad tam varias corporis partes prorepere possunt; demum plus temporis, quam observatur, acari ut pariantur et quocumque dispargantur, absumeret. At saepius etiam pauci tantum acari et in manibus solis occurrunt, dum totum fere corpus reliquum papillis, vesiculis et pustulis scabiosis obtectum est: quodsi perspiceres, num, et qua analogia nisus, illas vesiculas et pustulas, maxime saepius a manibus remotas, ab acaris istis paucis, quandoque tribus vel quatuor tantum apparentibus et in digitorum interstitiis habitantibus, effectas crederes? Porro quid causae sit, cur in manibus primis et non in aliis partibus, aequae contactui et contagio obnoxiiis, scabies exoriat, si acarus causam proximam exhibeat? Sunt etiam, qui ob metastases scabiosas genesin scabiei ex acaro non probent, quum qua ratione istae metastases, experientia ¹⁾, conficiantur, sibi suadere nequeant.

Nonnulli praeterea scriptores, incertam et ambiguum de scabiei ab acaro origine sententiam in medium protulerunt. Wichmanno enim ²⁾ veram scabiem ex acaro nasci eam ob rem verisimillimum esse videtur, quum ea causa, ex qua symptomata morbi peculiaris signaque necessaria et pathognomonica nec non ad indolem morbi pertinentia simplicissime et facillime explicari possint, maxime prae ceteris praeferenda et probabilis sit. Distinctam ergo de origine scabiei sententiam non dixit. Richter ³⁾ praeclarorum vivorum auctoritati, adesse acarum, fidem habet, tamen raro tantum acarum apparere et fortuito magis quam necessarie adesse dicit, quum qua ratione talia animalcula animata in externo corpore humano nascentur, generatione aequivoca melius quam transportatione immediata illustrari queat.

1) Richter, G. A. Specielle Therapie Tom. VI. p. 142.

2) Aetiologie der Krätze, pag. 52 u. 65.

3) l. c.

Schönlein ¹⁾, adesse acarum in scabie hominis, incertum et nondum comprobatum, verum in ovium, canum suumque pustulis scabiosis acaros inveniri, haud diffitendum esse censet. Batemann ²⁾ generationem harum insectarum in cute scabiosa raro tantum et fortuito observari, nec non contagiosam morbi indolem in humoribus, a pustulis secretis, positam esse et non insectis istis translatis inesse, persuasum habet. Etiam Biett ³⁾ acarum causam scabiei non esse, sed phthiriasin pro scabie habitam esse credit. Denique Green ⁴⁾, quum ipse acarum invenire non potuerit, iis semper assentatus est, qui acaros istos pediculos aut acaros Syrones dejectos esse contenderunt.

Scabiem contagio oriri et contagio propagari, medici experientia quotidiana satis superque compererunt, verum cuique prima morbi ut omnium fere non solum morborum sed reliquarum etiam rerum causa, quum intimam naturam nullum animal perscrutari valeat, prorsus ignota est. Verum ex iis, quae antea dixi, ex plurimorum medicorum sententiis, denique ex aliis multis causis comprobantibus, primam causam scabiei ab impuro vitae genere, ab humiditate et immunditie cutanea etc. oriundam esse, verisimillimum videtur. Acaros enim scabiei primam morbi causam non esse, cum aliae causae, tum etiam Waltz ⁵⁾ confirmaverunt, qui, cute per humiditates pluviasque non intermittentes morbosa emollita atque dissoluta, sive eo morbo, quem „Regenfäule“ dicunt, scabiem in ovibus ortam observavit. Verum quando quaque ratione acari scabiei hominis generentur, dubium et plane incertum quidem est, tamen is vero nimis aberrare videatur, qui acarorum origini ex materiis organicis, scabie sub epi-

1) Allgemeine u. specielle Pathologie und Therapie. Bd. 3. pag. 61.

2) Praktische Darstellung der Hautkrankheiten etc. p. 244.

3) l. c. pag. 117.

4) Praktisches Compendium der Hautkrankheiten etc. p. 85.

5) Natur und Behandlung der Schaafräude. Stuttgart, 1812.

dermide jam vigente attractis et dissolutis, deductae favet. Nil enim, quum Waltzio fidem habere debeamus, nec ullo in alio loco, nisi sub epidermide hominum occulti acari occurrant, profecto restat verisimilius, nisi ut scabie acaros produci credamus, et morbum acaris translatis et consilio insatis effectum ita explicemus, ut acari ad scabiem homini praedisposito morbum excitarint, aut homo ille post infectionem artificialem demum vere infectus sit. Denique etiam scabies lymphæ scabiosa, parti vel loco corporis humani illata, qui resorptioni inservit, inseri potest.

Cap. XI.

Scabies per se faustam prognosin habet, leve morbum est, nec quidquam vitae periculi portendit, ita ut infectus plus molestiae quam aegritudinis sentiat. Jam Hippocrates¹⁾ ne ad morbos quidem scabiem retulit et „..... καὶ ψώρα . . . ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσχος μᾶλλον, ἢ νοσήματα“ inquit. Recens et simplex nec nimis diffusa nullo alio incommodo, nisi pruritu infectum hominem urget, qui alioquin bona valetudine gaudet et eo citius sanescit, quo prius curandus suscipitur. Recentior enim scabies facilius sanatur protracta. Rationalis cura adhibita per decem dies aut per unum vel plures menses extenditur, prout gravior complicatio est, quae saepius medicamentis contrapugnat et sanationem magis vel minus sustentat. Facillime scabies in akme vitae, et sanior quisque citius, sanatur. Levior humida est sicca, sed haec curatur facilius illa. Si simplex scabies protracta jam, relictis superioribus, ad pedes talosque demigrat, mox plane cessaturam significat.²⁾ In adultis praesertim scabies longius tem-

1) De affectionibus, cap. 35.

2) Weber de causis et signis morborum, lib. II. pag. 259.

pus insidere potest, priusquam functiones reliquorum systematis reproducentis organorum perturbantur.

His contraria si adsunt, prognosis pejor fit. Scabies sibi met ipsi commissa nunquam sanatur.¹⁾ Multum discriminis affert, si inepte curatur aut malo regimine pervertitur, et recte jam *Dolaeus*²⁾: scabies non tam periculosa, quam molesta est, nec per se lethalis existit, nisi in curatione error comitatur. Protracta et inveterata aut solito magis diffusa scabie aegrotus maxime vexatur et debilitatur, somnum enim pruritus indefessus aufert, secretionem nimiam plus consumitur quam assimilatur, dein cura etiam magis impeditur. Nam totus organismus et maxime organa reproducentia protracta scabie afficiuntur, quo fit, ut nutritio mutetur, digestio et assimilatio alienentur, statusque gastricus et pituitosus accedat, quem intumescendae glandularum et suppurationes, tabes et febris hectica insequuntur. Ubi vero visceris alicujus labes concurrit, malum omen.³⁾ Debilitatos homines, exsanguis aliove modo laborantes scabies conficit et his aequae ac infantibus, si non curatur, cachexiam inferre statim potest. Difficilius scabies curatur in teneris et pueris, aegerrime in senibus sanescit, ad lustra aliquando extenditur.⁴⁾ Quae magis ab normali forma abhorret et purulentam imprimis indolem imitatur, difficiliter sanescit.⁵⁾ Ubi cutis fusco rubra facta est et corio similis tactuque linamentis assimilatur, periculosum.⁶⁾ Gravior scabies est, quae cutem magis exasperat, magis prurit, plures corporis obsidet partes.⁷⁾ Pessima est ea, quae caput obsidet. Summum autem peri-

1) *Wichmann* l. c.
Guldener de Lobes l. c.
Rieth l. c.

2) l. c. cap. IX.

3) *Weber* l. c.

4) *Weber* l. c.

5) *Richter* l. c.

6) *Schönlein* l. c.

7) *Weber* l. c.

culum imminet, si scabies retrocesserit, tunc enim materia scabiosa in pulmones vel alia organa interna delata aliud morbi genus efficit eo perniciosius, quo interior nobilior est pars, quae ab ea repente corripitur.

Cap. XII.

Quum morbi multi cutanei cum scabie confusi sint omnibus temporibus et sententiae de scabiei causis et natura maxime variarint, non fieri non potuit, ut magna remediorum copia ad ejus curationem commendata et adhibita sit. Qui ex cacochymia et acrimoniis scabiem ortam esse opinabantur, ab externis medicaminibus omnino abhorrebant inutilibus, potius medelam resolventibus, laxantibus atque aliis medicaminibus inceperunt, quibus materias illas dissolverent et dilutas amoverent. Horum aliis medicaminibus modo sanabatur scabies, modo aliis pertinaciter resistebat.

Ex quo vero tempore medici scabiem tantummodo localem morbum cutaneum esse cognoverunt, externis solis remediis scabiem oppugnarunt, quam methodum experientia probavit. Curationem ipsam dividamus in prophylacticam s. palliativam et in radicalem s. therapeuticam, quae ad morbum exortum dirigitur.

I. Curatio prophylactica

maximi momenti est, quia scabies perquam frequens est et vulgatus morbus. Praeprimis ad prophylaxin crebriores lotiones et balnea, mundities omnis, mutationes vestimentorum frequentiores, humiditatum atque sordium fuga atque abstinentia, commendanda sunt; porro, ne contagium vel acarus vim suam in alios exserat, et habitatione, stragulis vestimentisque communibus ne transplantetur, cavendum est. Simul infectum aliquem suspicamus, statim ut contagium diruatur, lotiones e Hydrargyri muriatici corrosivi solutione vel e liquore salis ammoniaci caustici instituamus. Richter eandem ob causam hanc formulam addat: Rec. Hydrarg. mur. corros. Drach. ij, Hydrarg.

praecip. rubr. gr. x, Spirit. angelicae et anthos āā Drachm. jj, Vitriol. alb. Drachm. jv, cujus pars una cum decem aquae fluviatilis vel pluvialis partibus commisceatur.

II. Curatio therapeutica:

Contra morbum exortum multa medicamenta, quorum usitatissima in sulphuris et mercurii praeparatis continentur, commendata sunt. Singula in externe et interne usurpanda dividantur licet, quae ordine proferam:

A. Remedia antiscabiosa externa:

a, Sulphur: Jam Celsus sulphur ad scabiem depellendam commendavit. Varia autem ratione ejus varia praeparata, praeprimis vero flores sulphuris, hepar sulphuris, unguentum sulphuratum simplex et unguentum sulphurat. compos. Pharm. boruss. fumigationes et sulphure adhibentur.

α. Flores sulphuris: Unguentum ad scabiem Jasseriā, quod florum sulphuris, zinci sulphur. et baccharum lauri pulverat. partes aequales continet, quae cum oleo laurino exp. vel axung. porci vel ol. olivar. ad unguentum conformantur. Inunguantur sub vespere drachmae duae in artus antibrachii et poplitem, quibuscum balneum saponatum vel sulphuratum quoque die aut tertio quoque conjungatur.

Methodus russica, auctore Wylie scabiosum mane et vespere hoc unguentum affricare jubet: Rec. Picis liq. Unc. jii, flor. sulph. dimid., cerae flavae Drachm. jj; quod ubi ter applicatum scabiem non sustulit, aliud unguentum, cui formula: Rec. Sulph. dep. Unc. dimid. pulv. Helleb. nigri Drachm. jj. Axung. porci Unc. jii, externe, et interne spirit. vitrioli aqua dilutus et potioni inserviens adhibetur.

Methodus anglica curandi scabiem hanc formulam proposuit: Rec. Sulph. dep. Unc. j et dimid., pulv. rad., Helleb. alb. Unc. dimid. Kali nitric. dep. pulv. gr. xv, sapon. domest. nigr. Unc. j dimid., adip. suilli Unc. jv dimid. Aegrotus balneo ablutus laneis tegumentis nudus involvitur et ter per diem, primo die uncia, postremo uncia dimidia illius unguenti toto corpore in-

ungitur. Exsiccatis pustulis et pruritu fugato aqua saponata temperata homo abluitur. Cura quatuor aut sex dies durat.

Unguenti Batemanni haec est formula: Rec. Kali subcarb. Unc. dimid., aquae rosar. Unc. j, hydrarg. sulph. rub. Unc. j, ol. essent. bergam: Unc. dimid., sulph. subl. et adip. suilli āā Unc. jx. M. secundum artem.

Helmerich hoc laudat unguentum: Rec. flor. sulph. partes duas, kali carbonic. partem unam, adipis suilli partes octo continens, cujus uncia dimidia mane et vespere in partes scabie affectas affricanda est. Cura duodecim dies absumit.

Hornii linimentum: Rec. sulph. dep. Unc. ij, sapon. nigr. Unc. jv, aq. fervid. q. s. ut fiat linimentum. D. s. ter vel quater drachm. vj — Unc. dimid. inunguntur locis scabiosis. Etiam balnea intercurrentia adhibenda.

P. Frank saponem sulphuratum proposuit, qui ex floribus sulph. et saponis medic. partibus aequalibus et ex ol. bergam. gtt. paucis conformatur.

Methodus danica: In nosocomio Hafniensi ita aegroti sanantur, ut primum alvus cieatur hoc pulvere: Rec. rad. jalapp. pulv. Scrup. ij, crem. tart. Scrup. j. M. f. p. Tum corpori hoc unguentum ternis vesperis infricatur: Rec. Kali carb. pulv., flor. sulph., picis liq. āā Unc. dimid., butyr. insulsi Unc. j. M. f. ungt. Aegroti decumbere debent et tertio die unguentum abluunt, quo facto sanati habentur.

Richter hanc formulam probavit: Rec. flor. sulph. Unc. iij. Ammon. mur. Unc. j. aq. calcis lib. v coque ad remanent. lib. iij adde hydrarg. mur. corros. drachm. dimid. in aqua calcis solutam. M. D. S. partes scabie corruptae hoc lavaero vespere laventur.

Clarissimi medici alii haec maxime laudant unguenta: Rec. sulph. dep. Unc. j, Amm. mur. crud. Scrup. j, Adip. suilli Unc. iij M. f. ungt. —

Rec. sulph. dep., vitriol. alb. pulv., pulv. bacc. junip. āā Drachm. ij ol. lauri q. s. ut fiat ungt.

Rec. sulph. dep. Unc. j sapon. domest. nigr. Unc. ij, aq. comm. q. s. ut f. ungt. molle. D. S. quinquies per diem affricetur. Rec. sulph. dep., sapon. domest. āā Unc. j, aqu. comm. fervid. q. s. ut fiat ungt. molle, cui refrigerato adde ol. lav. gtt. xij M. D.

β, Hepar sulphuris: Huc Jadeloti unguentum pertinet: Rec. hep. sulph. calc. Unc. jv, sapon. alb. lib. ij, ol. pap. lib. jv, ol thymi drachm. ij M. f. ungt. cui quotidie aut tertio quoque die balneum e hepatis sulphuris unciis tribus confectum jungatur. Medela quatuordecim dies requirit.

Autenrieth partes scabie affectas quaternis horis spongia, aquae fervidae immersa, stringi jubet, quod ubi factum est, solutione hepatis sulphuris kalini eadem partes deinceps inunguntur.

Dupuytren lotiones commendavit ex hepatis sulphuris Unc. jv, aq. comm. lib j dimid. acid. sulph. Unc. dimid.

γ, Fumigationes ex sulphure: (Methodus gallica) Gales¹⁾ novam scabiei sanandae methodum invenit fumigationibus e sulphure effectam. Aegrotus enim cistae, excepto capite, includitur, in qua sulphur accenditur, cujus vapores scabiosi corpus afflant. Medela triginta trium dierum tempus absumit.

b) Mercurii praeparata: Priusquam sulphure medici in scabiem utebantur, mercurium per longum tempus externe jam adhibebant, cui Willis, Vogel, Sauvages, Callisen, Heberden, Selle, Turner maxime favebant.

P. Frank commendavit hanc formulam: Rec. Merc. subl. alb. LX. solve in aq. destillat. lib. ij. M. d. s. pro usu externo.

Efficacissimum videtur esse Werlhofii unguentum: Rec. Merc. praecip. alb. drachm. dimid. - j Axung. porci Unc. j - ij M. f. ungt. s. ter per diem quantum

1) Mémoires et rapports sur les fumigations sulfureuses Paris 1816.

ejus nuci avellanae adaequat in partes aegrotantes affricetur.

Accedit unguentum Zellerii: Rec. hyd. mur. praecip. Unc. dimid., ungt. rosati Unc. jii, M. f. ungt. nec non unguentum Cirillonis: Rec. hydr. mur. corros., Amm. muriat. āā drachm. j. solve in aquae rosarum Unc. j, filtr. et adde axung. porci Unc. j. tere in vitreo in baln. aren. ad perfectam aquae rosar. evaporationem. Post refrigerationem adde ol. de Cedro gtt. viii.

Reis¹⁾ nuperrime hanc commendavit methodum in scabie recenti et inveterata comprobata. Aegrotus aqua saponata purgatus, hac solutione: Rec. mercur. sublim. Unc. ii, merc. praecip. rubri gr. x spirit. Angelicae et anthos āā drachm. ii, vitriol. alb. drachm. jv. semel aut bis omnes inunguat partes scabie affectas, ita quidem, ut per quinque dies quinta quaeque ejus solutionis pars addatur, quinta autem aquae retineatur, quo fiet, ut sexto die mera solutio adhibeatur. Duodecim vel quatuordecim dies cura extenditur.

Aquae antipsoricae mercurialis, quae maxime laudatur, haec est formula: Rec. sulph. dep. et pulv. unc. iiii. amm. mur. dep. unc. j. coque cum aquae simplicis lib. v. ad remanent. lib. iiii., colat. adde hydr. mur. corros. in aq. calcis bene soluti scrup. ii. s. lavacrum.

Aquam phagedaenicam P. Frank proposuit, quae ita constituta est: Rec. aquae calcis recenter paratae unc. viii., merc. sublimat., merc. dulcis āā gr. xx. M. d. s. pro usu externo.

c. Zinci praeparatum antiscabiosum.

Vitriolum Zinci in unguento Jasserii continens jam invenimus.

Hegewisch hoc ex eo comparato unguento, cujus formula: Rep. vitriol. zinci unc. j. — ii. adip. suilli unc. j. M. f. ungt. et Harless hoc lavacro

1) Allgemeine medicinische Annalen, 1817. Juli pag. 983.

efficaciore, cujus formula: vitriol. zinci drachm. j. dimid. — j. aq. destillat. vel decoct. cortic. Ulmi campestris concentrati vel decoct. rad. Galangae unc. xj. usi sunt.

Etiam flores zinci in unguentum redacti contra scabiem commendati sunt. Sic Haase hanc formulam laudat: Rep. zinci oxyd. alb. drachm. dimid. (vel zinci sulph. scrup. j.) ungt. pomad. unc. j. M. f. ungt. d. Vegetabilia:

Plures medici lavacra vel unguenta ex decocto rad. helenii, Horn decoct. herb. nicotianae, Batemann decoct. concentratum rad. hellebori albi, cui haec formula: Rep. pulv. rad. Veratri albi unc. j. dimid. hydrarg. praecipit. albi drachm. j., olei citri limonis drachm. j. adipis unc. xjv. M. f. ungt. S. bis quotidie adhibendum, et Biett unguentum ex hac planta confectum, commendarunt, sc. Rep. rad. helleb. alb. pulver. drachm. j. Axung. porci unc. j. Cura dierum quatuordecim tempus poscit.

Ranque decoctum seminum Staphidis agriae, cui opium purum grossiuscule concisum additur, in scabie etiam perquam refractaria, cum marasmo complicata comprobavit.

Pellegrini succum rec. expressum vel solutionem extracti vel decoctum Conii maculati maxime laudavit. In nosocomio Hamburgensi balnea picea adhibentur, quae Fricke salubria expertus est.

Praeterea adhibenda sunt antiscabiosa vegetabilia: potiones e decoctis lignorum, infusa herbae jaceae, rad. graminis, flor. arnicae cum sale culinari, succus cicutae rec. expressus, infusum rad. caricis arenariae, stipit. dulcamarae, rad. sassaparillae, ligni sassafras, solutio extr. cicutae.

e. Acida:

Acid. sulphuricum, nitricum, muriaticum et aqua oxymuriatica sunt usitatissima.

Unguentum ex acid. sulph. concentrat. drachm. dimid. et adip. suilli unc. j. jam Crollius commendavit.

Alyonii unguenti oxygenati haec est formula:

Rec. adip. suilli unc. viij supra lenem ignem in vase terreo liquatis sensim admisce, diligenter agitando, acid. nitric. unc. j.

Derheim hancee solutionem laudavit: Rec. calc. mur. unc. j, aq. commun. unc. xvj. d.

f. Graphites

in unguenti formam redactus a medicis gallicis commendatur.

g. Magnesium oxydatum nigrum

Grille, Morellet, Siloy et Villard bono successu adhibuerunt et unguentum ex eo constituerunt, cujus formula: Rec. magnes. oxyd. nigr. drachm. vj, Axung. porci unc. jj dimid. M. f. ungt.

Alii hanc formulam proposuerunt: Rec. Magnes. oxyd. nigr. drachm. j, axung. porci unc. dimid. M. f. ungt.

h. Calcariam sulphuratam

efficacissimum medicamentum antiscabiosum Pyhorel profert, quam pulveratam cum mediocri quantitate olei olivarum ad unguentum format, cujus drachm. dimid. bis per diem in volam manus inungitur. Curatio quatuordecim dies absumit.

i. Saponis nigri

inunctionibus Cramer, Hartmann, Pfeuffer valde favent. Bis per diem unciae quatuor tam diu affricantur, donec cutis inflammatur, quod libra una consumpta fieri assolet. Haec dum ita fiunt, vestimentis sese levare aegroti vetantur, denique balneo abluti pura vestimenta induunt. Cura decem aut duodecim dierum tempus aufert.

In nosocomio Caritatis Berolinensi auctore Koehler ita scabiei curatio instituitur, ut, si necesse est, primum alvus cieatur, tum unguento molli, ex sapone nigro et lapidibus latericiis pulverisatis composito, imprimis partes scabiosae inunguntur. Unguentum in partibus illis arescat, necesse est, quod perpauca horis elapsis abluitur. Ter per diem inungitur terque per hebdomadem balnea tepida mera adhibentur. Cura decem vel quatuordecim dies absumit.

k. Balnea:

quum valida sint remedia adjuvantia et multum in sananda imprimis scabie proficiant, saepissime in curatione cum ceteris remediis conjunguntur. Imprimis balnea e sulphure, verum etiam maritima et salina commendantur, quorum priorum maxime Eilsen, Aachen, Nenndorf, Warmbrunn, Baden celebrantur.

l. Extractione etiam acarorum scabiei nonnulli se scabiem sustulisse contendunt, quae cum longior sit et nimium temporis absumeret, plane rejicienda est.

B. Remedia antiscabiosa interna:

Consentiunt medici, remedia sola interna scabiem curare non posse, sed conjuncta cum externis in casibus refractariis maxime in auxilio esse. Quae medicamenta maxime celebrantur et a medicis usurpantur, haec sunt:

Florum sulphuris drachma una quotidie in pulveris forma cum saccharo, hepatis sulphuris scrupulus unus quotidie forma pilularum hauritur simul cum portionibus ex decocto lignorum. Antimonii crudi grana quatuor vel sex cum magnesia carbonica vel sulphure aurato secundam hanc formulam quotidie adhibentur: Rep. antim. crudi ppti. drachm. dimid. magnes. carb. gr. v. cassiae cinam. gr. jv. sacchari albi drachm. dimid. M. f. pill. dent. tal. dos. No. V. Medicamenta humores mutantia: decocta theiformia ex rad. Bardanae, lapathi acuti, graminis, taraxaci, quibus aliquantulum resinae vel ligni Guajaci additur, plures medici proposuerunt. Formulae ex his probatae: Rep. rad. graminis unc. jj. coq. cum aq. comm. lib. IV., ad remanent. col. lib. jj. d. s. quotidie scutillatim bibendum; vel Rep. rad. taraxaci unc. jj. rad. gramin. unc. j. coque cum aq. comm. lib. IV. ad remanent. colat. lib. jj. in qua solve kali tartarici, succi liquirit. āā unc. dimid. M. D. S. quater der diem scutella impleta haurienda.

Laxantia et purgantia raro tantum adhibeas, robustis autem hominibus initio alvum elicere salibus

neutris frigidis quandoque prodest, nam sordes, prout turgent, aut laxantibus aut emeticis removendae sunt.

Quod ad morbi complicationum medelam attinet, lex est, ut complicatio prima sanetur, quo quid facilius methodus specifica in sanando morbo cutaneo valeat. Scabiei cum scrophulis complicatae medebimur antimonialibus, sulphure, stipitibus dulcamarae, herba jaceae, quibuscum balnea tepida saponata nec non sulphurata et kalina junguntur. Quidam barytam muriaticam in diathesi scrophulosa commendant. Si cum syphilide scabies complicata est, mercurialia maxime et externe et interne adhibenda sunt. Complicatio scorbutica praesertim acida mineralia et decocta vegetaliū acrium, externe unguentum oxygenatum vel lavacra ex vitriolo zinci poscit. Homini rheumatismo vel arthritide simul laboranti hepar sulphuris, extractum aconiti, lignum et resina guajaci, herba rhododendri cum camphora, opio, herba hyoseyami conjunctim, et balnea sulphurata praebere debent.

Ubi scabies retrogressa est, interne usque sulphure et diaphoreticis non est abstinendum, ipsa vero scabies illico renovanda et denuo restituenda, aut alius morbus cutaneus vicarius efficiendus est, cui consilio sulphur, antimonialia, camphora, tartarus pond. salit. cum aliquantulo opii, emetica, porro balnea tepida inserviunt. At amisisse videtur corpus contagii recipiendi facultatem inde ab repereussa scabie, quum multi scabiem facile provocari posse errent. Nonnulli medici, istis medicaminibus non succedentibus ipsius etiam materiae scabiosae insitione aut vestium scabie conspurcatarum usu morbum instaurare tentabant; quodsi irritum est, ut assolet, irritamenta cutis acria, ut inunctiones unguenti ex tartaro stibiato vel ejus unguenti adhibendae sunt, cui formula est: *Rec. ungt. cantharid. Drachm. ℥, merc. sublimati corros., butyr. antimon. āā Unc. j M. S. quotidie semel vel bis quantum ejus pisum adaequat affricetur. Porro ad moxam vel setaceum confugiendum.*

Si longum jam tempus morbus duravit et habi-

tualis factus est, cautissime eum tractes nec cito curare coneris, laxantia melius ex sulphure, calomelane vel floribus sennae confecta, balnea etiam saponata et salina variis temporibus adhibeas.

Scabie fracta per aliquod adhuc tempus, ne de novo recrudescat, balnea tepida, vel si fieri potest, sulphurata, deinde frigida et fluviatilia adhibenda sunt. Praeprimis etiam mundities omnis adesse debet, vestimenta, linteamenta, stragula et quae sunt cetera scabie infecta dejiciantur, in aqua fervida purgata sulphure infumentur et saepius commutentur. Nova quaeque cum scabie infectis consuetudo evitanda.

Enucleatis jam omnibuscunq̄ue scabiem sanandi methodis restat, ut meam ipsius de earum vigore sententiam in medium proferam. Scabies haud vehementer inveterata nondum in luem transita cura non indiget interna, si tamen uti velles medicaminibus internis, ea fortasse proponere posses, quae in universum ad alterantium et ad transpirationem cutis excitandorum classem referuntur. Experientia probatissima medicos fere omnes, curae externae palmam omnino concedere docuit, qua de causa nostris temporibus ea sola in omnibuscunq̄ue fere nosocomiis adhibetur.

Verum diversissimae sunt scabiei curationes externae, e quibus medicus, cui summum est, cito, tute et jucunde sanare, unam eligat necesse est.

In universum balneis carere nequimus. Quamvis inimicus noster secundum methodum Anglicanam tractatus citissime evanescere soleat, verumtamen ne omnino illa exstinguatur, experientia teste, metuendum est. Praeterea etiam molestiae atque cruciationes maximae cum iis conjunctae accusandae sunt. Jucundiores nec minus tute inunctiones alio modo adhibitae et cum balneis tepidis aquosis conjunctae vel e hydrargyro mur. corros. vel e nitro depurat. vel e pulvere rad. hellebori, cum sapone nigro composito, quamquam non ita brevi tempore, prosperrimum eventum efficiunt.

At inunctiones unguenti e hydrargyro mur. cor-

ros. parati facillime magis obnoxiae fieri possunt, quam salutare, quia acerrima diligentia paululum tantum neglecta, intoxicationes mercuriales earumque sequelas creberrime procreare valent.

Inunctiones sulphuris pulveris et saponis nigri foetidissimum prae se ferunt odorem et laicorum jam naribus scabiosum indicant, qua de causa aegroti vehementer iis abhorrent.

Jucundiores neque minus tutae iis sunt lotiones solutione calcariae chlorinicae, quae quamvis male oleat, tamen laicis haud ita clare scabiei curam indicat, neque adeo illo medicamento pestilentem prae se fert odorem.

Si scabiosum, paululum tantummodo atque recens infectum brevissimo tempore sanare velles, accuratissime et diligentissime effodere acaros deberes, sed quum ejusmodi studium molestissimum sit plurimumque deterat tempus, in nosocomiis sine ullo dubio, uti experientia satis superque docuit, inunctiones ex sapone nigro solo paratae non solum cito, tute et jucunde scabiem omnino expellunt, sed, quod maximi momenti est, minimi pretii etiam frangunt, quam ob rem omnibus aliis medicaminibus praeferendae sunt.

L I T E R A E.

Th. Batemann, Practische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. Willan. Nach der von Thomson besorgten siebenten Auflage übersetzt von Calman, herausgegeben von Blasius. Leipzig 1835.

A. Cazenave's und **H. E. Schedel's** practische Darstellung der Hautkrankheiten nach den geachtetsten Schriftstellern, vorzüglich aber nach den in der Klinik des Hrn. Dr. Biett im Hospital St. Louis gesammelten Beobachtungen und Erfahrungen. Aus dem Französischen übersetzt. Weimar 1829.

Dolaeus, Opera omnia, Encyclopaed. chirurg. rational. lib. V. cap. IX. Francofurti ad Moenum 1703.

Etmueller de scabie, programma. Lipsiae 1731.

Fareille-Racial, Tableau des accidens funestes, qui resultent de mauvais traitement de la gale ou de sa repercussion. Paris 1807.

Folie, pathologisch-therapeutische Abhandlung über die Krätze, Würzburg 1816.

P. Frank's Grundsätze über die Behandlung der Krankheiten der Menschen. Unter eigener Aufsicht des Herrn Verfassers aus dem Lateinischen übersetzt. Mannheim 1797.

Guldener von Lobes Beobachtungen über die Krätze, gesammelt in dem Arbeitshause zu Prag. 2te Auflage. Prag 1795.

- Galès**, Essai sur la diagnostic de la gale, sur ses causes.
- Albin Gras**, Recherches sur l'acarus au Sacropte de la gale de l'homme. Paris 1834. 11. Oct.
- Green**, Practisches Compendium der Hautkrankheiten. Aus dem Englischen. Weimar 1836.
- Haase**, Ueber die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. Band 3. Wien 1832.
- Hafenreffer**, de cute. 8vo.
- Helmich**, de usu interno olei vitrioli diluti in nonnullis scabiei speciebus. 4to, 1762.
- Hemelot**, Recherches sur la gale et son traitement. Paris 1813. 8vo.
- Hildebrand**, Bemerkungen über den Krätzausschlag. Hannover 1813. 8vo.
- Keck**, de scabie periodica. 1701.
- Krause**, de scabie corporis humani. Lipsiae 1779. 4to.
- Levi**, diss. de varia scabiei indole. Gotting. 1790.
- Mouronval** Recherches et observations sur la gale faites à l'hospital St. Louis. Paris 1821. 8vo.
- Percy**, Rapport sur les experiences, qui ont eu lieu relativement à une nouveau mode de traitement de la gale. Paris 1813. 8vo.
- Plenk**, Doctrina de morbis cutaneis. Viennae 1776.
- Pfeuffer**, Beobachtungen über die Krätze und ihre Behandlung durch die Schmier- oder grüne Seife. Bamberg 1833.
- Plumbe**, on Diseases of the Skin. 2. edit. 1827.
- Ranque**, Mémoires et observations cliniques sur un nouveau procédé pour la guerison de la gale. Orleans 1811. 8vo.
- Raspail**, Vergleichende Untersuchungen und Naturgeschichte des Insects der Krätze. Aus dem Französischen mit Anmerkungen von G. K. Leipzig 1835. 8vo.
- Richter**, G. A., Specielle Therapie 6ter Band. Berlin 1818.
- Le Roux**, Traité sur la gale etc. 1809.

Schönlein's allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. Nach seinen Vorlesungen. 3ter Band. Würzburg 1832.

Schrader, Prüfung der gegen die Krätze empfohlenen und gebräuchlichen Mittel. Quedlinburg 1816. 8vo.

Weber, de causis et signis morborum. Lib. II. Heidelbergae et Lipsiae 1786.

Werlhof, Opera omnia T. III.

Rob. Willan, Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung systematisch beschrieben. Aus dem Englischen von Friese. Breslau 1799 — 1816.

Wichmann, Aetiologie der Krätze. Hannover 1786. Mit einem Kupfer.

Zieger, de scabie artificiali. 1758.

V I T A.

Ego *Jul. Alex. Ferdinandus Rohde*, confessioni evangelicae addictus, Parthenopoli anno MDCCCIX die XI m. Julii natus sum patre *Joa. Godofredo*, professore regio et praeceptore in gymnasio ecclesiae cathedralis Parthenopolitano emerito, et matre *Dorothea*, e gente *Wunderling*, quam praematura morte abreptam valde semperque lugebo. Primis literarum elementis ut instituar, gymnasium ecclesiae cathedralis, quod cel. *Matthias* Rectore patria urbe floret, frequentavi, optimisque praeceptoribus moderatoribus, quibus maximas semper habeo gratias, per duodecim annos in studia humaniora tractanda operam impendi.

Maturitatis testimonio adornatus anno MDCCCXXXII. mense Majo Halas petii, ibique ab Ill. *Heffter*, t. t. prorectore magnifico, civium academicorum numero adscitus et a Beat. *Sprengel*, decano ordinis medici t. t. maxime spectabili, in album facultatis medicae receptus, his scholis per tria se-

mestria usus sum: de re herbaria Beat. *Sprengel*, de encyclopaedia et methodologia artis medicae, nec non de pharmacologia Ill. *Friedländer*, de zoologia et helminthologia Ill. *Nitzsch*, de mineralogia et geologia Ill. *Germar*, de osteologia Cel. *Moser*, de physice et chemia Ill. *Schweigger*, de logice Ill. *Gerlach*, de psychologia Ill. *Hinrichs*, de diagnosi et curatione syphilidis Beat. *Baumgarten* — *Crusius* disserentes audivi. Anatomiam universam atque pathologicam, nec non physiologiam et artem cadavera rite secandi Beat. *Meckel* mihi exposuit.

Tentamine philosophico Halis absoluto, autumnno anni MDCCCXXXIII. Berolinum me contuli et ab Ill. *Strauss*, rectore magnifico et ab Ill. *Busch*, t. t. decano facultatis medicae maxime spectabili, civibus academicis adscriptus sum. Inde hisce interfui scholis: Ill. *Mueller* anatomiam cerebri organorumque sensuum, physiologiam generationis et una cum Ill. *Schlemm* artem cadavera rite dissecandi, Ill. *Rust* chirurgiam, Ill. *Kluge* elementa artis obstetriciae, artem obstetriciam theoreticam et practicam, nec non doctrinam de ossibus fractis et luxatis, Beat. *Becker* pathologiam generalem, Ill. *Horn* pathologiam et therapiam specialem, pathologiam et therapiam generalem et specialem morborum mentis, nec non doctrinam de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis, Cel. *Froriep* anatomiam chirurgicam me docuere. In arte fascias imponendi Cel. *Ascherson* mihi dux fuit; akiurgiam Cel. *Troschel* docuit. Praeterea hasce scholas clinicas, medicas Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff* atque Cel. *Barez*, singulas per semestre, chirurgicas Ill. *Rust* et Cel. *Dieffenbach* per tria semestria, ophthalmiatricas per annum Ill. *Jüngken*, ophthalmiatrico-chirurgicas generos. *de Graefe*, obstetricias Ill. *Kluge* et Ill. *Busch*, syphiliticas Ill. *Kluge*, singulas semestre frequentavi.

Hisce viris omnibus summe et optime de me meritis gratias, quas possum maximas ago, semperque agam.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

T H E S E S.

- 1) *Medicus purus medicus spurius.*
 - 2) *Ruptura sphincteris ani externi et interni inter partum semper evitanda est.*
 - 3) *Abortus artificialis saepius ultima ratio medici.*
 - 4) *Puris metastases non nego.*
 - 5) *Acari scabiei causa prima non sunt.*
 - 6) *Venaesectio in stadio frigoris februm intermittentium minime secludenda.*
 - 7) *Ligatura sive applicatione fascium peracta amputatione abstinendum.*
-

